

- | | | | |
|---|-----|---|-----|
| 44. Chronicon Ecclesiæ Goslarensis S. S. Simonis & Jude, cum recensione reliquarum | 533 | 48. Chronicon Episcoporum Hildesheimensium, nec non Abbatum S. Michaelis | 784 |
| 45. Chronica Slavorum Helmoldi & Arnoldi, cuius operis magna pars de rebus Henrici Leonis agit | 537 | 49. Johannis Buschii de Reformatione Monasteriorum libri IV, ubi supplementum & emendantur jam supra n. 39 edita, & opus ipsum integratur | 806 |
| 46. Loca in Hermanni Corneri Chronico inedito ex Helmoldo & Arnoldo citata, que tamen apud eosdem, quales exstant, vel plane non, vel aliter leguntur | 743 | 50. Designatio Monasteriorum congregacionis Bursfeldensis | 972 |
| 47. Emendationes & supplementa Otiorum Imperialium Gervasii Tiberiensis | 751 | 51. Chronicon Theoderici Engelhusi antiquius p. 977 add. suprad. 12. | |

INTRODUCTIO
IN TOMUM SECUNDUM
SCRIPTORUM
BRUNSVICENSIA
ILLUSTRANTIU.M.

I. Vita S. Conradi ex Gvelfis, Episcopi Constantiensis.



Ita Conradi Episcopi Constantiensis, quam frustra ab ipsis Constantiensiis expetiveramus, missa est ad nos à R. P. Janningio, Societatis Jesu Theologo, strenuo in magno opere de Actis Sanctorum collaboratore; manu R. P. Johannis Gamansii, ejusdem Societatis Presbyteri, de Historia Germanica optime meriti, ex antiquiore codice descripta. Præmisi excerptum ex Chronico Constantiensi Pistoriano, cum Epistola Ulrici Episcopi ad Calixtum II Papam, qua Prædecessorem suum inter Sanctos referri petit; & Papæ responsionem. Conradum ex Welfis prioribus fuisse, indicat ipse, quem edimus, Viri Biographus initio. Ait enim, parentes ejus in loco, qui *vetusta villa* vocatur, (id est, Altorf, quæ sedes tunc Welforum) summa dignitate floruisse; matrem Monasterium fœminarum in *Wingarte* (quod nunc est Monachorum, ubi Asceta nuper *Gabriel Bucelinus* vir doctus floruit) fundasse, ibique cum filiis *Rudolfo* & *Welfone* sepultam esse. Patrem Conrado Anonymus Wingartensis (Tomo nostro I pag. 782) assignat *Henricum*, Ethiconis filium; matrem *Beatam de Hobenwart*, ex Bavaria ortam. Hepidannus apud Goldastum in Alamannicis Conradum A.D. 935 ad Episcopatum Constantiensem pervenisse scribit, vicinum sane ditionibus sua familiæ. Nam sita est *Constantia* ad lacum ingentem, quem Rhenus efficit, vulgo *Bodensee*, Botamicum, à loco *Botamo*, qui fuit olim de patrimonio Veterum Welforum. Nam Welfum Carinthiæ Ducem (cui in patrimonialibus successit ex soro *Cunigunde*, Azonis de Este, Marchionis potentis Itali filius *Welfus*, Bavariæ postea Dux) obiisse in castro suo *Boramo*, scribit idem anonymous Wingartensis libro de Welfis Principibus. Extat etalia S. Conradi vita, à Pistorio inserta Chronico, quod edidit, Constantiensi (p. 638 seqq.) præfixa est prologi loco Epistola illa Ulrici Episcopi Constantiensis ad Calixtum II supradicta. Sed, quam edimus, vita plenior est, cum de familia Episcopi distinctius agat. In plerisque tamen, verbis magis quam sensu discrepant. Alterutrius autor (opinor) fuit *Udalricus*. Ita enim in Catalogo Codicum MSS. Bibliothecæ Cæsareæ lego: *Epistola Udalrici Constantiensis Episcopi ad Calixtum Papam de Canonisatione S. Conradi Episcopi Constantiensis, & vita ejusdem S. Conradi per Udalricum, Capellum Udalrici Episcopi*. De *Udalricus* hoc non dubito loquè narrationem translationis II corporis S. Conradi, vitæ hic adjectam (pag. 11 hujustomi) his verbis: *Antistes (Uldaricus) monachum quendam virumque eruditissimum ex Augusta civitate, apud se exulantem, convocavit, eumque vitam sepe dicti patris, tam ex antiquis schedis quam ex veteris relationibus investigatam, conscribere postulavit. At ille preceptum quidem obedienter suscepit: efficaciter autem, ut jussum erat, adimplevit.* *Presul itaque post hac cundem Monachum,* qui

qui postea Monasterio Beatae Afræ (hodie dicitur Udalrici & Afræ) penes Vindelicam strenue p̄fuit, atque Vice Dominum suum Heinricum --- cum literis Pontificalibus ad sedem Apostolicam direxit. Porro Udaliscalcum vitam etiam S. Udalrici Augustani Episcopi conscripsisse, & à patrono suo pr̄posito Majoris Ecclesiae Augustanæ, ad Episcopatum proiecto, ad Abbatiam fuisse promotum, ex antiquioribus Scriptoribus notavit Goldastus in Alamannicorum Tom. II p. 197. Unde eundem hunc cum autore vita S. Conradi fuisse intelligas. Anonymi vitam S. Conradi in Monasterio Sangallensi extare, scribit ibidem. Credibile est, vel Pistorianam esse, vel nostram. Opusculum ejusdem Udaliscalci de controversia inter Hermannum Episcopum Augustanum & Eginonem Abbatem S. Udalrici, edidit Canisius Tom. 2 antiquarum lectionum. Nempe Hermannus Cæsari potius quam Pontifici favebat. Itaque excommunicatus est à Pascali II, eaque occasione Udaliscalcum, ab Hermanno pulsum Augusta, Constantia latuisse credibile est. Vossio idem non male videtur autor opusculi, a Canisio editi, cum autore vita Mariae Magdalena & Afræ (Sanctorum ambarum at non virginum) & S. Udalrici, qui beneficiis meruit, ut Ecclesia S. Afræ etiam ab ipso denominaretur. At vitam Conradi ab eodem Udaliscalco scriptam fuisse, Vossio non innotuit. De S. Gebebardo Episcopo Constantiensi idem Goldastus hæc habet p. 196: *composuisse perhibetur vitam & historiam S. Conradi, ex Comite Altorfensi Constantiensis Episcopi. An extet ignoratur.* Puto non S. Gebehardum (qui hujus nominis secundus fuit Constantiae Episcopus) intelligi debere, ut Goldastus judicavit; Sed Gebehardum III, ex Zeringia Ducibus in Episcopatum Constantiae assumtum. Ejus enim tempore sanctitas Conradi celebrari maximè cœpit, & cura ipsius prima vice translatum est viri corpus, ut habet translationis hujus narratio, vita, quam hic edimus, subjecta p. 8. Gloriam S. Conradi ad suum decus pertinere judicarunt Welfi nostri, & ex eorum stirpe Dux Henricus Leo; qui pro affectu naturali & devotione, Ecclesiam Constantensem, ob S. Conradi reverentiam, donis & prædiis magnifice honoravit, ut loquitur autor Chronicus veteris de Ducibus Brunsvicensibus, quod Tomo huic inseruimus p. 16, qui eodem loco corrigendus est, cum scribit, eundem Ducem uxorem duxisse suo generi congruentem, filiam Ducis de Thuringe, Dominam Clementiam. Scribi enim debebat, de Zeringe, vel (Saxonica dialecto) de Theringe. Sed facili lapsu notiora nomina pro ignotoribus à librariis, interdum & ab ipsis autoribus, substituuntur. Exemplo Conradi Episcopi alium Conradum ex junioribus Gvelfis, Henrici Leonis patruum, excitatum ajunt, ut sacro ordini nomen daret, & ad vitæ melioris institutum aspiraret. Itaque monachus Claresvallenensis factus est, & in Palæstinam iter suscepit, ibique aliquamdiu in Eremo egit; sed quo minus locum virtutes suas explicandi nanciseretur, mors immatura intercessit. Nam in redditu apud Barum Apuliae urbem obiit, ut habet Anonymus noster de Gvelfis. Sunt, à quibus etiam inter Sanctos, vel certe Beatos, quos vocant, referuntur. Errata etiam Hypothetæ hic emendare placet. Pag. 1 lin. 16, 17 leg. cur Walhenburg cum jure p. 2 lin. 35 post: Burgundus electus adde: anno Domini MCXX, & rex ecclesiam V annis, X mensibus, XIII diebus, & sic p. 3 lin. 18 & in Bavaria. Moritur 940 p. 6 lin. 14 insulis p. 7 lin. 12 exaltationis leg. celebrationis p. 8 lin. 1 munitio. p. 9 lin. 54 Dei l. dein. p. 10 lin. 2 ad orationem l. adorationem. lin. 56 mox l. non. p. 12 lin. 8 bistoriam s̄pē dicti. lin. 15 dominata l. denominata.

II. Chronicon vetus Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium.

Vetus appellamus merito, quia non multum à Ducatus erectione Autor absuit. Nam Otto filius Wilhelmi, nepos Henrici Leonis, Saxonie & Bavariae Ducis, cum allodiales terras imperio obtulisset, Ducatum partim veterem partim novum, sub novo nomine *Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis* à Friderico II in feudum accepit A. D. 1235. Autor vero noster, quando vixerit, indicat ipse pag. 17: ubi loquens de Regibus Angliae, Brunsvicensium Ducum cognatis, ait: *Henricus (III) filius Johannis, duxit filiam Comitis Provincie, & genuit Dominum Edwardum* (primum hujus stirpis) *Regem Anglie, qui nunc regnat.* Is autem ad Regnum pervenit A. D. 1272, aut 1273, (etsi in autore nostro legatur 1270, corruptè forsan) Obiit vero 1307, vel, ut quidam volunt, 1308. Medio igitur tempore autorem nostrum scripsisse, consequens est. Imo non composuisse opus, vel certe partem ejus, post annum 1283, ex eo patet, quod anno 1282 obiit Ericus Rex Daniæ, cuius tanquam se scribente regnantis meminit eadem p. 17, cum Helenam Ottoni primo, Duci Brunsvicensi nuptam, ait, fuisse sororem Regis Slavorum, Domini Woldemari, avi Erici Regis Danie, nunc regnantis. Quædam tamen serius adjeccisse ad operis finem apparat, ubi memorat aliqua, quæ A. D. 1288 contigere. Autor Chronicus Rhythmicus, Saxonica Dialecto conscripti, aliquoties citat *Historiam Principum Brunsvicensium*

sium. Eam arbitror non esse diversam ab hoc Chronico nostro: neque enim similis laboris uspiam alibi vestigium extat; & peculiare quiddam, quod ex Historico illo libro autor carminis refert, diserte in hoc Chronico nostro extat. Sic enim habent versus cap. 20 pag. 36.

Dese satte Keiser Heinrich
To pande algelich
Van Wölfebutle Her Wedekint,
Unde ok ander, de nicht genomet sint.
De volgeden dem Keiser lange tit,
Doch worden se to lesten quit.
Van Brunswick der Försten Schrift
Differ rede uns orkunde gift

id est, Cæsari Henrico (Gertrudis, soror *Eckerti* Anticæsar) dedit obsides Dominum Wedekindum de Wolfenbutle & alios, quos historia non nominat. Qui diu Imperatorem sunt secuti, sed tandem fuere dimissi. Hujus narrationis fundamentum nobis præbet scriptura de Principibus Brunsvicensibus &c. Jam vero in Chronico nostro p. 16 ita habetur: *qua* (Gertrudis) *defuncto* *Patre*, & *fratre a* *autoribus imperii* *interfecto*, *bæreditatem in* *Brunsvic* *obtinxit*. *Cui fidelis erat inter* *alios Ministeriales* *Widekindus de Wulferbutle*, *avus* (maternus) *Eckerti*, *patris Guncelini*, *patris Burcbardi de Aßborch*, adeo, *ut pro eo* (*lege eā*) *obses esset Henrico IV Imperatori*. *Cujus fidelitatem & constantiam Imperator ipse comperiens &c.* Etsi vero Chronicon hoc non sit spernendum, multis tamen erroribus scatet, quorum aliquos annotavit V.Cl. *Johannes Mollerus*, cum narrata hujus scriptoris de familia *Suiberti*, *Bambergenis Episcopi*, postea Papæ *Clementis II* impugnavit. Et licet compertum tandem sit, vera de hac re narrasse nostrum, & ex anterioribus magisque fide dignis descripta; negandum tamen non est, graves causas habuisse Mollerum, cur hujus solius scriptoris autoritati non assurget, et si sint, in quibus non est spernendus. Annexum fuit hoc opusculum *Theoderici Engelbusi* Chronico in exemplari, quod habuerat *Vir celeberrimus Hermannus Conringius*, qui et *Job. Henrico Madero*, viro non mediocris doctrinæ & diligentie, communicavit; is vero primus in lucem protulit A.D. 1661, & renovavit 1678. Miror tamen, multos adeo errores relictos: quos nunc demum observatos, quia Codex ipse serius ad manus meas pervenit, hoc loco annotare, operæ pretium erit. Codex ille passim vitiosè satis scriptus est, sed aliud exemplum hactenus repertiri non potuit. Duplici nomine opusculum, ad Brunsvicensia in primis pertinens, huic operi inferendum fuit, tum quia in nulla hactenus collectione majore scriptorum extat, atque adeò intercidere facile posset, tum quia valde inemendatum prodiit. Etsi autem quadam errata editionis Maderianæ non sint sublata, ut par erat; quod me impedito & absente, revisio non satis diligenter administrata fuisset; utraque tamen errata notabiliora, tam ex lectione ipsa animadvertenda, quam ex inspecto Codice cruta, hic corrigemus. P. 14 lin. 13 (hujus opusculi) pro *pii* legendum *piis*. lin. 15 in culto leg. *insultu*, & linea 16 pro: tribuarii legendum *tributarii*. lin. 23 pro: *Slavos deficit*, IX annorum tributorum solventes; leg. *Slavos devicit*, IX annorum tributum solvens (nempe *Ungaris*) &c. lin. 41 post *Ottонem Rufum* Imperatorem II adjice: *Adelberdus obiit DCCCC XCIX, XVI Kal. Jan.* lin. 47 pro *Bummenborch* in MSO est *Burnenborch*. Sed Bummenborch prætulit editor aliorum omnium scriptorum consensu; neque ego repugnare velim. Lin. 55 pro: ab alio Hinrico leg. tot ab alio Henrico. pag. 15, lin. 9 pro: *tenuerunt*, leg. *tenuerant*, pro: *maribus*, leg. *viris*. lin. 19 pro: quam *Saxones* leg. *que Saxones*. lin. 27 pro: *Arnesborch* leg. *Arneborch*. lin. 33 pro occurrit leg. *occurrerunt*. lin. 55 pro: *acie*, leg. *aciei*. pag. 16 lin. 12 pro: *communio* leg. *communes* dicebatur. Unde *adbuc communes* dicuntur dies, qui in Octobri servantur &c. Hic veteri manu in margine annotatum reperi: *de communionibus, que servantur Dominica Michaelis cum tota septimana sequente*. Hic ritus cum sua antiquissima origine notatu admodum dignus est, et si hodie cum sua religione intercidet. p. 16 lin. 17 pro: *avus Eberti*, legendum: *avus Eckerti*. Et linea 27 quadam deesse appetit, quæ ex Codice MSO ita suppleri debent: *Bernardo Comite & filio ejus Bernardo*. pag. 17 lin. 3 iterum est hiatus. Nempe, inter *regina Francie & nunc regnantis*, interponendum est aliquid, veluti: *avia Regis* scilicet *Philippi Audacis*, qui *Ludovici Sancti*, ex *Blanca Regina Franciæ natu*, filius fuit, & anno 1170 ad regnum pervenit, anno vero 1185 obiit. Linea veros rursus hiatus occurrit, & post: *duxit filiam*, supplendum esset, cuiusnam ea fuerit filia, quam *Johannes Rex Anglie* duxit, nempe *Comitis Engolismensis*. Cumque in ipso Codice, unde

unde hæc expressa sunt, eadem omissiones compareant, non diligentissime descriptum, vel ex alio æque vitorio defumtum appetat. Lin. 15 pro: Ducum leg. *Ducis*. lin. 17 pro: ut Rex, leg. & *Rex* lin. 22 pro feudi ratione, leg. *sed Romanæ*. Mirum est, errorem tam crassum a primo editore, viro docto, admissum, si Codicem ipse inspexit. lin. 24 pro: electionis suæ moreretur anno in Hertesborch leg. *electionis suæ anno XX in Hertesborch moreretur*. lin. 25 pro: hominem leg. *hominum*. lin. 26 verba A. D. 1118, 14 Kal. Junii referri debent ad præcedentia, nempe, mortem. Inde sublato commate ponatur punctum, & subjiciatur. Fuit autem sepultus &c. lin. 28 pro: Borehardi leg. *Borehardi*. lin. 32 omissa est nota (*) quæ refertur ad annotatiunculam paginæ subjectam. lin. 34 leg. mulieres quædam Saxoniae patribus suis in tō (forte in terræ) hæreditate &c. lin. 41 pro: Ladesberg leg. *Ladesberg*. lin. 42 leg. IIII Kal. Maji. lin. 51 pro: Bornehovæ leg. *Bornehovæ*. lin. 52 pro: congreditur leg. *congrediens*. lin. 52 in *vigilia III feria S. Mariae Magdalene*. Codex habet: *in vigilia IIII feria sc. Mariae Magdalene*. At prælium in Bornehovæ non in vigilia, sed ipsa die S. Mariae Magdalene commissum constat, ejusque anniversariam memoriam ea die diu celebrarunt Lubecenses. Eo autem anno dies, Mariae Magdalena dicatus seu 22 Julii, incidit in diem Jovis. Verum ergo est, quartam feriam septimanæ fuisse vigiliam festi S. Mariae Magdalene: sed dies prælii fuit sequens. pag. 18 lin. 2 pro: *Brunsvic* leg. & *Brunsvic*, & lin. 3 post *Luneborch* dele comma. Sphalma etiam est in numero, quando in periodo opusculi penultima inter liberos *Ducis Alberti* numeratur Mechtildis, & dicitur nupta Duci Glogoviæ MCCXII; ubi puto legendum MCCXCI, & mutatum fuisse C in I, quod facile fieri potuit. Nec ipsius autoris Sphalmata defunt. *Tbidericum* Regem Francorum Austrasiorum p. 15 vocat Regem Saxonum; & Ducem Zeringia p. 16 vocat Ducem de Thuringe, nisi forte scripsit *Tberinge* Saxonica Dialecto. De die prælii in Bornehovæ commissi male assignato jam dictum est. Male etiam narrat, quæ consecuta sunt prælium: male *Suidgerum* seu *Clementem II* ab Henrico S. Papam factum putat, cum id fecerit *Henricus ei proximus*; multosque alios errores committit, quos non examino, quia, ut dixi, alii iam fecerunt, & plerique non difficulter animadvertisuntur. Carterum habet autor noster non pauca, nec sfernenda, quæ apud anteriores aut non, aut vix invenientur, velut, quod de antiquissimo *Communium* apud Saxones ritu narrat; & primus ipse est extantium scriptorum, qui habet (initio statim libelli) Urbem Brunsvicensem a *Brunone* & *Tanquardo* fratribus, Ludolfi *Ducis* filiis, fuisse fundatam. Inter primos etiam habendus est, qui prodidere, *Henricum* Regem Germaniæ fuisse cognominatum Aucupem (de Vinkeler p. 14) *Mechtildem* uxorem ejus fuisse filiam Comitis de Ringelheim, (ibid.) *Hermannum* Ducem Saxoniam Patrem habuisse *Bilingum* (p. 16) *Henricum Northemium*, Ottonis *Ducis* filium, cognomine dictum Pinguem (p. 17) aliaque id genus, quæ posteriores receperunt.

III. Fragmentum Genealogiæ Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium.

IV. Genealogia Ducum Brunsvicensium illorum, qui Eimbeck, Osterrot, & Duderstat cum attinentiis possederunt, Theodorico Engelhusio autore.

Fragmentum Genealogiæ fragmento vetusto Chronicæ Episcoporum Brandenburgensium coniunctum fuit in antiquo Codice, atque ita edidit Maderus. Pleraque, quæ ad Brunsvicensia pertinent, cum præcedenti Chronicæ convenient: nonnulla tamen adduntur, quæ paſſim non exstant; veluti, quod Otto primus *Dux Brunsvicensis* filium habuerit *Ottонem*, qui cadens de *vehiculo glaciali* (vulgo Sliddam vocant Germani, Galli *traineau*, nam trahæ est genitus) mortuus sit & in Luneburgh sepultus. Errores aliquot habet graves, veluti, quod *Fridericus Dux Sueviae* fuerit filius *Henrici V*, cum sororem ejus in matrimonio habuerit. Item, quod *Jutta* mater *Friderici I Imperatoris* fuerit filia *Henrici Magnanimi*, generi *Lotharii Imp.* cum fuerit ejus soror. Quæ sequuntur de Episcopis Brandenburgensis, ubique hiatus habent. Nam incipitur a *Sifrido* Episcopo XV. Inde saltus fit ad *Aldwinum* Episcopum decimum nonum: mox transitur ad Episcopum, cuius nec nomen nec numerus exprimitur, & verba defunt ante: *Rutgero prepositis*. Cum absentes fuerimus a typis, culpa typographi omissæ sunt notæ hiatus. Interim hæc, qualiacunque sunt, non negligere placuit. Continent enim aliqua, quæ alibi non leguntur. De Theodorico Engelhusio Eimbeccensi agemus infra ad n. LI, ubi Chronicæ ejus recensebitur. Ejus *Genealogia Ducum Brunsvicensium Grubenbagicæ lineæ*, quæ ab *Henrico Mirabili*, filio *Alberti I* descendit, reperta est in Chronicæ Engelhusiani codice, quem olim

Johannes Swarzkopfius Cancellarius Brunsvicensis, vir doctrina & dignitate Illustris, CL Madero suppeditavit. Licet autem sit pertenuis hæc Genealogia: habet tamen, quæ notes. Et certe nihil talium temere omitti debet, cum Historia pleniori & curatori, materiam præbeant & firmamentum. In titulo omissa est *Hamelen*; ita enim legi debet: *qui Eimbek, Osterrot, Hamelen & Duderstadt* cum attinentiis possederunt. Nam Grubenhagius fuit ille Dux, qui Hamelam obtinuit, de quo ad *Johannis de Polda* libellum.

V. Narratio Altahensis de quorundam Ducum Bavariae Genealogia & incrementis.

Xtat inter Manuscripta Cæsareae Bibliothecæ codex, qui fuit Monasterii Altahensis in Bavaria; unde quædam in rem nostram beneficio Cl. *Neffeli*, quondam Bibliothecarii, obtinuimus. Inter alia fuit hoc fragmentum, in quo explicatur ab initio, quomodo a Brunsvicensi stirpe ad Palatinos Comites Bavariae de Schiren & Witelingsbach Ducatus Bavariae, & postea etiam Palatinatus Rheni, sit translatus. Nam Fridericus I Augustus Ducatum, Henrico Leoni ademtum, dedit *Ottoni de Schiren*; & hujus filius *Ludovicus* Dux filium habuit *Ottone*, qui ducta *Agnete*, filia Henrici Comitis Palatini, Henrico Leone nati, sed sine maribus liberis exstincti, etiam Comitivam Palatii Francie Orientalis (quam hodie Rhenanam vocamus) obtinuit: altera filia Henrici Palatini hic *Trmgardis* dicitur (sic enim legendum, non Yrugardis) quæ nupta fuit *Hermanno Marchioni de Bade*. In Chronico Principum Brunsvicensium, paulo ante recensito (p. 17) Bavarо nupta vocatur *Herinck*, & Marchionissae Badensis nomen filetur. Herinck librarii male describentis vitio corruptum puto ex *Gertrud*. Sic enim nominat Bavari conjugem autor *Chronici Saxonici Picturati*. Idem Badensi nuptam *Eilicam* vocat: ut adeo de veris filiarum Henrici Palatini nominibus dubitari adhuc possit, recursuque ad diplomata aut alia monumenta opus videatur. Autor Altahensis Henrici Palatini uxorem, Conradi filiam, *Juttam* vocat, sed ab Alberto Stadensi diserte appellatur *Agnes*. Cætera quoque Altahensi narratiuncula contenta, et si ad res nostras non pertineant, conservari digna fuere; indiculus imprimis Principum, Comitum & Dynastarum, quorum ditiones Bavariae Ducibus acrevere. Plerique enim Principatus Germaniae similibus incrementis ad justam magnitudinem pervenire.

VI. Gerardi Maurisii narratio dissidiorum Marchionis Estensis,
cum Ecelino de Romano.

Cum Felix Osius Vir doctus, Professor Patavinus, hortatu Dominici Molini Senatoris Veneti, ab eruditis sui temporis passim celebrati, Historiam Henrici VII Augusti, ab Albertino Mussato contemporaneo scriptam, edere moliretur: scriptores aliquot alias ineditos addere constituit, qui de rebus Marce, quam olim Veronensem hodie Tarvisinam vocant, id est, partis Longobardiae, Venetis vicinæ, scripserant. Obiit Osius, antequam editionem absolveret; quæ tamen Molini favore & Laurentii Pignorii cura perfecta est anno Dom. 1636. Ex his scriptoribus visus est nobis collectioni nostræ inseri dignus antiquior cæteris Gerardus de Maurisio, causidicus ac civis Vicentinus, & aliquando judex urbis, ut habetur in fine operis, natus Petro quondam de Maurisio milite p. 29, qui stetit a partibus Friderici II Imperatoris & Ecelini de Romano contra Pontificem Romanum & Marchiones Estenses, id est, a parte Gibellina contra partem Guelfam; cum contra monachus Paduanus, ab Urstisio editus, & Rolandinus editus ab Osio, aliquæ pene omnes Pontificis partes tueantur, & in Imperatorem sint iniqui. Sed Maurisius ante ruinam Ecelini tertii (secundo nati) scripsit: cæteri fortunam secuti videntur. Quanquam ego Ecelini hunc tueri nolim, cuius crudelitatem & tyrannidem omnes uno ore exagitant; quæ, cum Maurisius scriberet, nondum credo ad ann. p. 29, pervenerant. Sed cur Maurisium in hanc collectionem admitterem, duo fuere: primum, quod de Ottone IV Augusto habet, quæ, alibi non legenda, ad indolem tanti Principis noscendam faciunt; deinde quod de rebus Marchionum afferit, quæ nuperi scriptoris Romani, viri docti sed Estensibus iniquioris, opinionem refellunt, qui de Pontificio in Comaclum jure epistola, Italico sermone scripta, tractavit. Contendit Romanus Scriptor Estensibus Marchionum honorem non ante competuisse, quam Azo Estensis ab Innocentio III Marchio Ancone renuntiatus est. Sed Maurisius noster, adversus Estensibus & hosti eorum favens, coque credibilior, cum ipsorum dignitati testimonium perhibet, Azonem jam Marchionem Estensem vocatanne annum 1204, id est, multo ante, quam Marchiam Anconitanam obtinuit. Narratque, Marchionem Estensem Ecelino secundo, senioris Ecelini filio, contra Patayinos (p. 26) astitisse; sed hunc postea Veronensibus contra Marchionem auxi-

lio fuisse, qui ad potestatis honorem Verona electus, & deinde expulsus fuerat: mox tamen, repugnante licet Ecelino, Veronam recepit. Idem Marchio tunc & Salinguerram Ferraria expulit, & jam cum amicis Veronam & Vincentiam & Ferariam tenebat: quas tamen mox rursus amisit (p. 28, 29) Hoc rerum statu Otto IV Rex, ad recipiendum imperii Diadema, in Italiam venit, & Marchionem, Ecelinumque, & Salinguerram ad se vocavit, deditque operam, ut conciliarentur. Quia in re & moderatio Imperatoris & autoritas enuit; & jucunda lectu sunt, quae de colloquio ipsius cum Marchione & Ecelino habentur p. 30, ubi & appareat, Ottонem Aug. Gallico sermone usum, & ab Italis fuisse intellectum. Et mutanda ibi nonnihil interpunctio est; nam pro: equitando cum ipso in Francesco, dixit Dominus Rex, &c. sic distinguendum est: *equitando cum ipso, in Francesco* (id est Gallice) *dixit Dominus Rex.* Porro rebus compositis, Azonem ad Marchiam Anconitanam (quam ei contulerat) regendam misit, Ecelinum secum Romam duxit; eique deinde reversus, Vicentine civitatis regimen credidit (p. 31.) Ex quibus intelligitur, Estenses dudum Marchiones fuisse, antequam Anconam obtinerent, & hanc ab Imperatore accepisse; et si postea, Imperatore cum Papa colliso, hujus quoque concessionem Marchio expetierit. *Quin* multo ante sub Imperatore Friderico I *Obitio Marchio Estensis* autoris nostri testimonio firmatur. Ita enim non proculab initio operis (p. 24) de Ecelino avo agens: *Hujus (inquit) tanta fuit discretio & scientia, quod, quamvis gravissime Lombardi Imperatoriam Majestatem lessissent, & non modice contra illos fuisset Dominus Imperator indignatione commotus: tamen sic humiliter verbis & factis supplicavit eidem, quod tam sibi quam dictis Lombardis & Obitioni Marchioni Estensi suam indignationem dimisit &c.* Itaque si scriptor Romanus non minus Maurisium quam Monachum Paduanum & Rolandinum consuluisset, nunquam (credo) in animum induxisset suum, ut Marchionatus dignitatem, Principibus solis eo tempore convenientem, in Estensibus, a Pontifice Innocentio III repetendam judicaret; quam penes ipsos fuisse vetustissimam, & jam decimo seculo vigentem, aliunde certissimis documentis constar. Sed ut ad Marchionem Estensem, jam & Anconitanum factum, redeamus; ille deinde, cum fortuna se circumagens, ab Imperatore ad Papam transiit, & Fridericum II contra Ottонem IV fecutus est, ac tandem decessit, relictis duobus filiis, Aldobrandino & Azone, dicto novello. Tum vero Patavini, spreta Aldobrandini Marchionis adolescentia, Estense castrum cum burgo, tanquam in suo districtu situm, juris sui esse contendentes, auxiliante Ecclino, obsident, & ut noster ait: (p. 11) *venit tunc Marchio, tanquam deictus, ad voluntatem Communis Padue.* Monachus Paduanus rem ita narrat: *cum nobis Marchio Aldobrandinus nollet Communitati Padue subjacere, Paduani arcem Estensem cum macinis obfederunt.* Videns autem Marchio, se non posse amicos suos, qui obsidebantur, commode adjudicare; pariterque sciens, quod durum est contra stimulum calcitrare, coactus juravit, sicut civis, *Communi Padue in omnibus obedire.* Hoc scriptor Romanus arripiens, inde inferre non dubitavit, Estenses, antequam Marchiones Anconitani à Pontifice fierent, non nisi privatos fuisse cives, nobiles Paduanos; parum attendens ad illorum, de quibus loquitur, temporum faciem. Sane animadvertere poterat, Aldobrandinum jam tum Marchionem fuisse Anconitanum. Nam volebat Pontifex, ut patri succederet, de Ecclesia Romana benemerito. Itaque civis Patavini appellatio non ideo privatum reddebat: idemque locum habebat, etiam antequam Marchiones Estenses Anconam fuisse nacti, cum dudum ex primariis Italiae Principibus haberentur. Nempe distinguendus erat Marchionatus, feudum Regale, ab allodiali olim terra, qualis erat Estensis; in quam ob viciniam Patavini jus quoddam sibi vindicabant. Sciendum est enim, cum illis temporibus primariae Italiae urbes, inter quas Patavium erat, speciem quandam Republicae sibi quæque affectarent; vicina oppida Dynastasque proximi tractus, in easdem leges adigere tenasse. Pulchre rem explicat Guntherus in Ligurino diversis locis. Ita enim libro 2 canit de Italicā gente

Consulibus rerum committere summam
Gaudet, & hos, triplici sumtos ex ordine, (fastum
Ne pariat diuturnus honor) mutare quotannis.
Vivere quemque suæ subjectum legibus Urbis
Cogit, & externos sub eodem jure potentes
Alligat, ut terra vix inveniatur in illa
Aut Comes, aut alias, civili jure solutus.

Et idem mox libro tertio introducit *Terdonenses Legatos*, urbem Papiam vel Ticinum accusantes, quod vicinum Comitem, Regni Palatinum, in castro Lunelli residentem, sub sua jura coegerint;

Nam præter reliquas, quas aut servire coactas
 Subdidit, aut captas evertit funditus urbes,
 Aspic, quam turpi *Lunelli* nobile *castrum*,
 Atque *Palatini* *sedem* fixosque penates,
 Verterit illa dolo. Comitem civesque vocabat
 Perfida, colloquio pacis de rebus habendo;
 Incertosque viros, & nil hostile timentes,
 Fraude mala captos in vincula dura coegit.
 Ipsaque non armis, nec belli iure, sed astu
 Vel potius subversa dolo castella reliquit.
 Et nunc ille *Comes*, consors & Regius Aulæ,
 Ille potens *Princeps*, sub quo Romana securis
 Italiae punire reos de more vetusto
 Debuit, injuste victrixi cogitur urbi
 Ut modicus servire cliens; nulloque relicto
 Jure sibi, Dominæ metuit mandata superbae.

Itaque non mirum, si juvenis Marchio *Aldredandinus* aliquando similia passus est, vi nihil dergante juri & dignitati. Cæterum ab aliis narratur, quomodo expeditionem Anconitanam suscepit, & brevi extinctus, fratri *Azoni* adolescenti dignitatem familiæ tuendam & propagandam reliquerit. Atque is est, qui postea (circa A. D. 1142) *Ferrariam* stabili ditione, voluntibus civibus, obtinuit. Obiter noto, errore nescio quo pro *Marchione* Bonifacio (p. 27) legi Melchiore Bonifacio, quod corrigendum est; & p. 31, 32 legi debet *Aldredandinum Marchionem*. p. 32 Rambertinus de Bononia. Cæterum memorabilis est historia *Fratris Johannis Vincentini* ordinis Prædicatorum (p. 40) qui religionis autoritate aliquamdiu civitates Longobardiae in pace continuit: sed postremo, cum ipse regimini manus admoveret, ausis excidit.

VII. Sententia Arbitralis Johannis Regis Franciæ super controversia honoris & appellatione ad duellum, inter Ottonem Ducem in Brunswick & Henricum Ducem Lancastriæ IX Decembr. MCCCLII.

Hoc monumentum Brunsicensis Historiæ ex quodam Bibliothecæ celeberrimæ Cottonianæ (nuper publico assertæ) Codice accepi. Misit V. Cl. *Thomas Smit bus*, Anglicanæ Ecclesiæ Theologus, qui scriptis non tantum Orientalem Ecclesiam illustravit, sed & virorum Angliæ præclarorum memoriam & labores conservavit; & Bibliothecam Cottonianam egregio indice exornavit. Apud nos nulla rei gestæ memoria aut mentio extabat. Et deliberandum fuit, quis esset ille *Otto* Dux Brunsicensis, cui cum Duce Lancastriæ lis fuit. Sed omnibus expensis non alium esse arbitror, quam, qui ex linea Grubenhagia ortus, vulgo *Tarentinus* dictus vel *Neapolitanus*, postea bellis Italics inclaruit, & Reginam Neapolitanam Johannam I duxit. Nam tempora convenient, nec in alium Ottonem narratio quadrat. Laudum enim (quo nomine arbitralem sententiam vulgo appellant) pronuntiatum est A. D. 1352, quo tempore Otto floruit, qui & A. D. 1354 Romæ coronationi Caroli IV Augusti interfuit, quod ex Tabulis, ab *Abafvero Fritschio* Cancellario Schwarzburgico in additionibus ad Limnæi Lib. 7 cap. 35 editis, Henricus Meibomius junior V. Cl. avi notis in *Bullam Andromici* ascripsit. Ætate jam vergente, Johannam duxisse constat circa annum 1376, cum multis rebus præclare gestis inclaruisset, & Regina defensore opus haberet. Et ad Ottonem Luneburgicum (*Ottonis Strenui* filium, Johannis nepotem) A. D. 1354 extinctum, qui domi maritus ditionem rexit, nec patria excessisse cuiquam memoratur; non est, cur ista cum Anglo controversia referatur. *Henricum Ducem Lancastriæ*, Regis Angliæ *Eduardi II* Consobrinum fuisse, comperi. Eum Ottoni Duci, tunc inimico, cognatum fuisse, sententia Arbitralis observat. Hoc vero ita habet. *Mectildis* uxor Henrici Leonis Ducis Bavariae & Saxoniae, fuit soror *Johannis* Regis Angliæ, patris *Henrici III*; & peperit marito cum aliis filios, tum *Wilhelnum*, patrem Ottonis, qui primus Ducis Brunsicensis titulum accepit, patris *Alberti*, patris *Henrici Mirabilis*, patris *Henrici* in Græciam profecti, qui fuit pater *Ottonis* Ducis, de quo agitur. *Henricus III* Rex Angliæ, duos habuit filios: *Eduardum I* (hujus generis) Angliæ Regem, patrem *Eduardi II*, avum *Eduardi III*; & *Edmundum*, cuius duo filii: prior *Thomas*, & hoc, jussu *Eduardi II* decollato, *Henricus*, alter post alterum, *Comites Lincolnie*

*serie dicti sunt. Henricus Comes, cognomine dictus est Torticollus; & demum ab Eduardo III consobrino, cui paulo ante coronationem militiae cingulum pro temporis illius more circumde- derat, Lancastriæ Dux est appellatus; & inter primos Equites per scelidis post Regem ejusque filium, tertius nominatur. Atque hic tantus vir is est, qui Parisiis cum Ottone nostro solenni duello configere debuit. Res scriptoribus Gallis non fuit ignota penitus, et si non cognita satis. Nam Andreas Quercetanus Historicus Regius in *historia rerum Anglicarum Gallice edita* memo- rat ad A. D. 1352, Ducem Lancastriæ 4 Septembris (substituendum Decembris) cum nescio quo Duce aut Principe Bohemiæ, in campo Martio clauso, monomachia certare debuisse, impetrato a Gallis, licet hostibus, salvo conductu; sed Regem ipsum, cum in eo jam essent, ut congrede- rentur, pacis conciliatorem fuisse. Credo Ducem de B. inventum in libris veteribus, ut saepe fit; & notiorem Bohemum pro Brunsvicensi substitutum fuisse. Verba Quercetani hæc sunt Tom. I Hist. d' Angleterre pag. 672, 673. Le quatrième jour de Septembre enservant le Duc de Lan- castre devoit publiquement combattre à Paris contre un Duc ou Prince de Boheme, que les Histoires ne nomment point, en champ clos, de seul à seul. Et pour cet effet, bien qu'enemis du Roy de France, il avoit obtenu sauf conduit de Sa Majesté. Mais comme ils furent descendus en la lize, armés & qu'ils eurent fait les sermens, le Roy Jean se rendit lui même l'instrument de leur reconciliation, & les mit d'accord. Sed Tabulam Genealogiam ad intelligentiam cognationis inter utrumq; pugilem subjicere placet:*

Henricus II. Rex Angliae

Johannes Rex		Mechtildis — Henricus Dux Bava- riae & Saxoniae, vulgo Leo.
		Wilhelmus Princeps.
Henricus III Rex		Otto I Dux Brunsv. & Luneb. vulgo Puer.
Eduardus I	Edmundus, Comes Lancastriæ	Albertus I, vulgo Magnus.
Eduardus II.	Thomas Comes <i>Henricus Dux</i> Lancastræ <i>Lancastria</i>	Henricus, Mirabilis dictus.
Eduardus III		Henricus, de Græcia dictus.
		Otto Neapolitanus vel Tarenti- nus dictus.

Ubi mirum videbitur, componi inter se ad certamen duos Principes, quorum alter, si Genealo-
gia lineam spectet, alterius proavo par est gradu. Sed sciendum est, Albertum proavum Ottonis
Ducis Brunsvicensis, egisse apud Henricum Regem, avum Ducis Lancastriæ, et si Alberti avus Wil-
helmus, Henrico Regi contemporaneus ex Genealogicis gradibus videri deberet. Sed Mechtildis
uxor Henrici Leonis, primogenita natarum Henrici II fuit: at *Johannes Rex* quartus filiorum ejus-
dem; & ipse sero Henricum III genuit: qui, cum decederet pater, novennis fuit. Causa quæ commi-
serit duos Duces, non satis explicatur: *Henricus Dux Lancastriæ, Colonia Agrippinae agens* (credo, ut
nomine Eduardi III cum Principibus Germaniæ negotia tractaret; nam à *Ludovico Bavarо* vicarium
imperii in partibus illis Eduardum nominatum constat) nescio quid in Ottонem Ducem Brun-
svicensem jecerat. Quo comperto, Otto ad Henricum literas provocatorias misit. Sed postea Hen-
ricus apud Regem Galliæ rem ita exposuit, ut appareret, rem male ad Ottонem relatain fuisse: eo
facilior conciliatio visa est. Cæterum digna ipsa sententia est, quæ legatur, non ab Historiæ tan-
tum & Jurisprudentiæ cultoribus, sed etiam ab iis, qui literas armis conjungunt. Inde enim
disci potest non tantum, quam studio si fuerint antiqui tuendæ dignitatis, sed etiam, quam fue-
rint in causa honoris tractanda circumspecti. Laudari etiam Regis *Johannis* generosus animus
debet, qui primarium Regis, hostis sui, virum, ipsumque hostem non spernendum conserva-
vit, quem alterius nihil ad se pertinentis periculo confici impune pati poterat. Et sane fatendum
est, illis seculis, quæ nunc prope barbarac sententur, multa fuisse edita exempla justitiae & generosita-
tis, à nostris moribus non aequæ expectanda. Pag. 48 lin. sept. à fine, pro, adhuc, leg. ad hoc. Et
p. 49 lin. 8 ab initio post duellum, poni debet distinctio, veluti: Et lin. 5 a fine hic, leg. hoc.

VIII. Excerpta de Gestis Ottonis Tarentini, Ducis Brunsvicensis,
ex Theoderico de Niem & Gobelino Persona.

Quoniam de *Ottone*, vulgo *Neapolitano*, ex Ducibus Brunsvicensibus Principe Tarentino di-
cere cœpimus, excerpta duorum autorum contemporanorum de rebus ab eo gestis adjice-
re placuit. Hi sunt *Theodericus de Niem*, ex antiqua apud Westhalos familia ortus, aliquot Pa-
parum scriba vel Secretarius ad Episcopatum primo Verdensem, mox Cameracensem a Papa
destinatus vel promotus; & *Gobelinus Persona* Decanus Bilefeldensis in dioecesi Paderbornensi, de-
quibus autoribus alii satis dixerunt. Neque magnopere, quod addam, habeo, nisi quod in mā-
nus meas pervenit *Continuatio Martini Poloni inedita*, *Theoderico de Niem attributa*. Hunc
ad Episcopatum Verdensem, & post ad Cameracensem a Papa Bonifacio IX in sua obedientia
dicto, fuisse nominatum; habetur in & Chronico Verdensi, quod hic edimus, in Ep. 43 pag. 221.
De Ottone dicere præstat, explicareque, quæ illi occasio peregrinationum longinquarum fuisse
videatur. Natus fuit ex patre peregrinatore: amitam habuit Imperatricem Constantinopolita-
nam, aviam ex Marchionum Montis ferrati stirpe. Nimurum *Albertus* Dux, Ottonis primi Du-
cis Brunsvicensis & Luneburgensis filius, Wilhelmi nepos, Mechtildis Angliæ Principis, Hen-
rico Leoni nuptæ, pronepos, ex aula *Henrici III* Angliæ Regis (Mechtildis fratre nati) duxit
uxorem *Adelheidem Montis ferratensem*, quæ apud cognatam Reginam *Eleonoram*, Comitis Pro-
vinciæ *Raimundi* filiam, fuit educata. Inde filius primogenitus *Henricus*, vulgo *Mirabilis*, exte-
ris cognatione innexus, filiam *Adelheidem*, (sed Græcis nomina nostra mutantibus dictam *Ire-
nen*) *Andronico juniori* Imperatori Constantinopolitano desponderat, filio Michaelis mature de-
functi, nati ex *Andronico Seniore* & *Maria*, vel, ut alii volunt, *Anna Hungarica*; qua defuncta,
cum idem Andronicus Senior *Tolandem de Monte ferrato* duxisset, eo minus mirum est, quod ne-
poti, cognatam conjugi suæ posteriori, uxorem dedit. Porro *Henricus*, Henrici Mirabilis fi-
lius, in Græciam ad Augustum, sororis maritum, profectus est A. D. 1329; atque inde porro in
Palæstinam & Arabiam, ad montem usque Sinai perrexit. In itinere, &, ut quidam volunt,
Constantinopoli, *Mariam*, filiam Regis Cypri duxisse scribitur: viduus (si Chronicon Brunsvi-
cense picturatum audimus) amissa *Helena* (aliis Hedwige vel Catharina) Waldeimari Brandenburgi filia, ex qua *Ottonem Neapolitanum* ejus primogenitum, natum credendum est: cuius ta-
men nativitatem ad annum usque 1307 cum Meibomio (in notis ad Bullam Andronici) non re-
traxerim; ita enim septuagenarius anno 1376 Reginam *Johannam* duxisset, cuius etiam casui su-
pervixit adhuc diu, & militiæ labores toleravit: Et credibile est, patrem ejus *Henricum*, qui vi-
ginti & amplius post annis in longinqua peregrinatione fuit, anno 1307 nec dum conjugatum
fuisse. Cæterum hunc *Henricum*, vulgo *de Gracia cognominatum*, rectius *Duderstadensem* ap-
pelles, & fratrem *Ernestum*, *Einbeccensem*; has enim portiones paternæ ditionis accepere. Fi-
lius illius primogenitus *Otto Neapolitanus* cum fratribus (de quibus dicere hoc loco supersedeo,
plerumque extra patriam egit, & rebus præclare gestis, gloriam sibi, decus familiæ peperit. Qua
de causa cum Lancastriæ Duce, Regis Angliæ consobrino, collisus fuerit, non constat, ut jam di-
xi. Credibile est, agendi rationem, Principe & generoso viro dignam, qua vindicavit dignita-
tem suam, & in magno orbis theatro, coram Franciæ Rege, ad duellum solenne comparuit;
non parum ad famam ejus contulisse. Decennio post (quantum judicare potui) Marchioni
Montisferrati, bellum cum vicinis gerenti, auxilio fuisse, ex commentariis quibusdam Italicis
comperi, & castrum *Calusenum* expugnatum servandum accepisse. Porro & cum *Bernabone* &
Galeacio Mediolanii Dominatoribus conflixit, & Ecclesiæ Romanæ copiis in Italia præfuit. Rem
bene gestissse scribitur, & omnino quadraginta præliis sive conflictibus victorem exiisse. Postre-
mo *Johanna prima*, Regina Neapolitana, viro nupsit, & principatum ei *Tarentinum* dedit. Cumque
paulo post Gregorius XI Pontifici obiisset, & Romani tumultuantes cœtu Cardinalium nomi-
nationem Pontificis Itali expressissent, electus est Bartholomæus, *Bari* Archiepiscopus, qui *Urbani VI* nomen sumvit. Sed Cardinales Galli cum tribus Italibus, violentam Electionem nullius
monienti esse dicentes, postea apud Fundos alium elegerunt, qui *Clemens VII* in sua (ut voca-
bant) obedientia appellatus est. Porro Johanna grata fuit Urbani electio, sumti ex suo regno;
a quo obtinere sperabat, ut maritus Rex coronaretur. Sed Urbanus se difficilem præbuit, & in
multis rebus Regina iniqvum ostendit. Itaque illa Clementi se applicuit, & *Ludovicum Ande-
gavensem* adoptavit, sed magno suo malo. Nam cum Urbanus adversarium ejus Carolum Dyr-
rhachensem fovisset, hic per proditionem Neapoli receptus est. Otto primum exclusus, dein
captus; Regina ad deditiōnem addacta, postea non amplius visa est. Jussu Caroli occisam non
dubitatur

dubitatur. Otto post triennii captivitatem a Ducis Andegavensis (Carolo æmuli) milite interceptus liberatusque hujus partes fovit, tandemque Neapolin & Tarentum recuperavit, & postremo, (si Gobelino credimus) A. D. 1387 cum Margareta Caroli vidua, Tarento contentus, pacem fecit. Octuagenarium obiisse scribit Niemius, & Foggiæ sepultum; sed annum mortis non indicat. Itaque erroneum puto, quod vel hoc vel sequente anno ex vulnere extinctum quidam volunt. Virum pro merito Niemius celebravit. Johannam I vulgo ut impudicam & crudelem, describunt, quæ maritum *Andream Ungarum* singulari curarit. Sed *Meibomius, Summontius* & alii viri docti, Apologiam Reginæ scripsere, quæ ob formam, & ingenium, & mores, ad elegantiam atque humanitatem factos, celebratur. Niemius, certe contemporaneus & liberrimus censor, scelera ejus non erat dissimulaturus, si credidisset. Et credibile est, Johannæ II vitia, errore hominum ob commune nomen, famæ prioris nocuisse. Cæterum p. 53 cap. 24 lin 5 a fine pro Boenabovem leg. *Bernabonem*.

IX. Excerpta Chronologica de Ducibus Brunsvicensibus, & de reliquiis Ecclesiæ Collegiatæ S. Blasii.

X. Compilatio Chronologica a temporibus Caroli M. ad annum MCCCCX.

Hec sumta sunt ex duabus per vetustis Ecclesiæ S. Blasii membranis. Ecclesia illa sita est in loco urbis, qui Castrum, *die Burg*, appellatur, olim *Tanquaderode*: ubi antiqua Principum sedes, & nunc quoque Ecclesia S. Blasii pariter ac Ducis palatium aream spectat, in qua Leonem æneum fusilem, in symboli sui memoriam, *Henricus Dux Bavariae & Saxoniae* erexit. Cum enim ædes sacra loci, a *Ludolpbo* Brunsvicensi ex media linea principe, Ecbertorum patre & avo, in honorem SS. Petri & Pauli structa, angustior videretur: Henricus Dux dirui eam, & ejus loco ampliorem exstrui curavit A. D. 1173 SS. Johanni Baptista & Blasio dicatam, quæ nunc quoque supereft. Reliquiæ Sanctorum nonnullæ tum ab ipso Henrico Leone fundatore, tum ab aliis collatae, hic recensentur: quarum pars inter eas reperitur, quæ nunc Hanoveræ visuntur. Cum enim urbs Brunsvicensis, diu Ducibus suis refractaria, A. D. 1671 deditioñem fecisset; *Johannes Fridericus Dux*, qui Calenbergicum, Gottingensem & Grubenhagicum Ducatus tenebat, & cum fratribus *Georgio Wilhelmo* Duce Cellensi, & *Ernesto Augusto* Episcopo Osnabrugensi, auxilium *Agnato Rudolpbo Augusto* Duci Welfebytano tulerat, operæ navatæ pretium sibi Sanctorum reliquias petuit, antiquitatis argumentis & ornatu sane spectabiles; quarum indicem per amplum R^mus vir *Gerardus Molanus* Abbas Luccensis, primarius Electoralium ditionum Theologus, & rerum Ecclesiasticarum Director, typis edi curavit. Ibi statim n° 1 recensetur Crux illa, quam ex Sanblasiana hac membrana discimus, ab Henrico Leone fuisse donatam. Nam frustum de ligno domiri & de spinea corona, (quas membrana primas insertas Crucis reliquias memorat) etiam in Hanoverano indice, in descriptione Crucis primo occurrit loco; additurque complura ibidem inclusa legi non potuisse. Sed ex indiculo Sanblasiano disci possunt. Interim & indiculus aliqua præteriit, quæ Catalogus exhibet. Altera reliquiarum theca, quæ in antiquo hoc indiculo Sanblasiano memoratur, & nunc Hanoveræ habetur, est *liber plenarius*, ut vocant, vel *plenarium*, id est, cuius colligamenti Tabula utraque reliquiis est farta vel repleta. Nam Germani, quod fartum est, vocant *gefüllte*. Ita vulgus anserem tostum, intusque pomiscoctis, artemisia & nescio quibus aliis, pro cuiusque gustu repletum, vocat *eine gefüllte Gans*. An hoc sensu accipiuntur libri, qui in actis Murensibus *plenaria* dicuntur, citante Du Cangio v. Missale, non dixerim. Ducangio lingua Germanica haud gnaro, occurere illa significatio haud potuit; apud nos autem in usu eam esse constat. Quod membrana Sanblasiana ait reliquias in hoc plenario positas A. D. 1311, vitium numeri esse videtur. Nam in ipso libro legitur 1339, his verbis initio scriptis: *Anno Domini 1339 factum est plenarium istud. Impositæ sunt reliquia istæ.* Firmatque computum temporis, figura, laminæ operculi argenteæ, auro obductæ, insculpta; ubi ante S. Blasii icona, genibus nixi spectantur, nominibus ascriptis, *Otto* Dux cum duobus Leonibus gradientibus, Brunsvicensium insigni, & conjux ejus *Agnes* cum aquilæ symbolo. Porro tunc urbem Brunsvicensem tenuit Otto, quem *Largum* vocant, Alberti II filius, primi nepos, Ottonis Ducis Brunsvicensis primi pronepos. Ottoni autem Largo uxorem priorem fuisse constat *Agnetem*, Conradi Marchionis Brandenburgici filiam. Brandenburgicos autem jam tum Aquilæ Symbolo in clypeo usos, nemo nescit. Reliquiarum recensionem sequuntur notatiunculæ quædam Historicæ; ubi in versibus manifestum est, pro missæ legendum mille. Quod hic, & alibi passim apud autores scribitur

tur, *Gislam de Werle* tertium maritum habuisse *Conradum Imperatorem*, qui vulgo *Salicus* appellatur, falsum est. Constat enim, *Gisela* Imperatricem fuisse filiam *Hermannii Alemanni Ducis*. In fine hujus membranae, pro: *distanti principis sententia* haud dubie legendum est *dictante*. Altera membrana Sanblasiana non tantum annum fundationis Ecclesiae S. Blasii 1173, sed & dedicationis 1227 annotat, & alia mox sequuntur, Brunsvicensi Historiae profutura, a contemporaneo consignata. I.S.D. id est, Johannes Schwarzkopf Doctor eum A. D. 1314 obiisse ex conjectura notavit in fine p. 161. Ibidem ad A. D. 1311 refertur, Ottone filium Ducis Alberti junioris, 19 annorum adolescentem, tunc factum militem a Marchione *Woldek*. Sed legendum *Woldem*. id est, a *Marchione Woldemaro*. Otto iste haud dubie non est alius ab eo, quem paulo ante memoravimus, qui *Largi cognomentum postea obtinuit*, & *Woldemari* sorore *Agnete* duxta, per eam antiquam (ut vocant) *Marchiam* obtinuit, sed quam non conservavit.

Compilationem quoque *Chronologicam* Cl. Madero debemus. Exiguus est momenti, & parvæ in antiquioribus autoritatibus. Interest tamen, talia scripta brevicula ob nonnulla utilia, quæ in posterioribus præsertim continent, conservari. Ibi p. 63 non procul a fine, pro: *Meschilde* legendum *Mechtild*; quanquam in ea re error insit. Filia Ludolfi Ducis nupsit *Ludovico*, filio, non Arnolfi Imp. sed *Ludovici Germanici*, nec *Mechtild* sed *Ludgarda* dicebatur. Quæ de *Henrico*, A Episcopo Moguntino, post depositionem ad Ecclesiam S. Alexandri in Einbeck se recipiente ibique sepulto, habentur ad ann. 1152, notari merentur. *Carmelita* credo nesciebant, se fundatos a *Juda Maccabæo* cum *pallio Helie*. Sed vereor, ne locus sit corruptus, aut a Compilatore alicunde male descriptus. Nam sic habet additio nescio cuius ad Engelhusium, quam in hoc Volumine damus p. 87: *Ante hominis lapsum Deus in Paradiſo instituit Monasterium. Ante incarnationem Domini institutus est ordo Hospitalensium a Juda Maccabæo, & Ordo Carmelitarum ab Helia in monte Carmeli*. Ita magnos Carmelitæ autores habent, quibus *Papebrochium*, & similes antiquitatis suæ detractores refellant. Ad annum 1370 legendum puto in versu, non *Stirps*, sed *Stirpis*; & ad 1405 in vers. exul & simul unus.

XI. Chronicon Riddageshusanum, ad annum usque MDVIII continuatum, ex MSto.

Coenobium Riddageshusanum peculiariter dissertatione illustravit *Henricus Meibomius*. De eo autor compilationis præcedentis (p. 66) ad annum 1145 ita ait: *Riddageshusen prope Brunswyk delegatur ordini Monastico*. Chronicon vero, quod nunc edimus, non dicitur Riddageshusanum, quasi de Monasterio agat, sed quod in eo Monasterio confectum, vel potius continuatum est. Breviloquum est, & indicat magis gesta quam explicat. Quædam tamen habet non spernenda; veluti A. D. 906 monasterium S. Michaelis in Luneborch fuisse fundatum. Consentit Autor incertus fundationis Monasteriorum, insertus Tomo nostro I pag. 261; qui addit, fundatorem fuisse *Ottone Ducem Saxonum*, de quo diximus aliquid in introductione in Tomum primum artic. 20. Itaque ab *Hermanno* Duce magis amplificatum putem, quam cœptum. *Brunswyk* urbis foundationem Chronicon hoc attribuit *Brunoni*, media stirpis Principi ad A. D. 1026, sed contra cæterorum omnium sententiam; qui tamen urbem ab hoc Brunone auctam fortasse aut ornatam admittent. Codex, unde edimus hoc Chronicon, vitiose interdum scriptus fuit, interdum & descriptus. Itaque nonnulla corrigere hoc loco operæ pretium erit, quæ in textu mutare visum non est; partim etiam serius animadversa sunt. Apparet initio, mutilum esse opus. A. D. 571 post S. Vedastus, subjiciendum O. id est obiit. 586 pro *Goalleg. Goar.* 679 *Julianus leg. Kilianus*. 686 *Johannes primus Papa leg. quintus*. 730 pro 30 homines leg. 30, id est, triginti millia. 761 *Corpus S. Johannis Baptiste* invenitur. leg. caput. Videantur, quæ de hoc Lipsano Abbas Marollius in suis Commentariis (vulgo memoriis) notavit. 820 *Arn* --- terra intremuit. leg. *Arnt-see terra intumuit*. Hujus rei meminere annales. ad 854. Lotharius fit monachus in Prunia leg. in *Prunia*. 862 leg. *Locusta innumerabiles in Gallia apparuerunt*. 867 Descriptoris vitio positum est, quod pertinet ad annum 877, ubi & repetitur. Deleatur ergo & reponatur: *Johannes Scotus doctissimus* venit in Franciam. 950 S. Patroclus miles transfertur add. *Sofatum*, quod descriptor omisit. 985 lege: *Berno seu Bernardus fit Dux Saxonie*. 1003 lege: *Hilpericus librum de ratione computi*, scilicet fecit. Idem ad hunc annum notavit *Albericus* monachus trium fontium. 1009 pro *Johannes XXVIII leg. XVIII*. 1021 *Buwanus* fit A Ep. Bremensis lege: *Unwanus*. 1048 *Leo IV* lege *IX*. 1103 *Fridericus Halberstadensis* Episcopus expulit Monachos de *Isenborch*, leg. *Isenborch*, quod monasterium fuit Diocesis Halberstadensis. 1115 Bellum in *Welpe*. leg. in *Welpesbollze cum Casare*. 1149 addatur: *vix Tugdali fuit*. Hanc etiam ad hunc annum refert *Albericus noster*, quidam visionem *Tundali* vocant. 1156 *Elizabeth Sancta monialis*. legendum: *sancitimo-*

*sanc*t*imoniales*; intelligitur Schönaugiensis, de cuius visionibus passim. 1140 dele verba: *Comes Hollan-*
die imperat, quæ pertinent ad lineam sequentem. 1276 Johannes XX Papa leg. XXI. 1304 Henricus
Comes de Meckelinburg rediit de captivitate Soldani, ibi pro Comes lege *Dominus*. Nam mox no-
tatur ad ann. 1348, Dominos de Meckelingborch Duces factos. 1355 leg. *Johannes de Rupescissa*. 1356 Di-
vina restituuntur Hamburgensibus, qvibus 40 annis caruerant; sed pro 40 annis tantum 18 ha-
bet Cranzius in Saxonia, cui hac in re magis credo. 1369 *Duces Brunsvicenses & Luneburgenses obie-*
rtunt, credo, sensum esse, lineam Ducum Brunsvicensium, quæ erat in Luneburg, suis extinctam,
nempe morte Wilhelmi, linea ultimi. 1371 Gregorius X in manuscripto est XI. 1389 Nescio quo
errore (descriptoris puto) ponitur Albertus Rex Franciæ, cum legendum sit: *Suecia*. 1390
Serghen, lege Bergben, oppidum Norweya. 1398 Frater quidam ordinis Minorum in Trajecto de-
capitatur, subjicitur in Codice: ut falsus Episcopus. Observavi, autorem Chronicæ libenter an-
notare, quæ Fratribus Minoribus aduersa aut parum honorifica evenere. 1401 Marchiones Misnen-
ses Purgam obsederunt leg. Pirnam. 1416 *Henricus Rex Anglie* obsedit Herengulet. Hoc monstrum
est vocabuli, sed ita tamen in Codice exstat, depravate haud dubie. Obsedit *Harfleur*, mariti-
mum Normannia locum. Ab anno 1420 demum mentio fit Abbatum in Riddageshausen, ut
credibile sit, Chronicum alibi in vicino aliquo loco dudum compositum, circa hoc tempus in coe-
nobio Riddageshusano continuari cœpisse. 1422 Pro prælio in Gament leg. in *Gruna*, ubi in
nota subjecta (pag. 82) male impressum Gruma. 1435 honorifice dedicatur leg. *deducitur*. 1475
Dux Burgundiæ obsedit Misnam leg. Nuissn, id est, Nuissseu Novesium. 1485 Tzerste crematur
leg. Tzersted, hodie Sarsted. 1487 Fuit discordia in Brunsvic inter Consulatum & Hildense-
inenses leg. inter Consulatum (id est, Senatum) & Ghildenn, id est, Gildones seu Tribus. Ad
annum 1492 esthiatus supplendus, inserta voce: inimicitias.

XII. Duæ diversæ continuationes Chronicæ Engelhusiani.

Cum postea totum Engelhusii Chronicum recognitum & redintegratum, huic collectioni inse-
rere visum fuerit, suppeditatis codicibus, unde plurimum augeri emendarique poterat;
ideo recensionem ejus infra dabimus No. LI suo loco, ubi & de duabus continuationibus hic exhibi-
tis agetur.

XIII. Telomonii Ornatomontani descriptio belli inter Henricos Seniorem & Juniorem, Duces Brunsvicenses & Lu- neburgenses, civitatemque Brunsvicensem, circa A. D. MCCCCXCII gesti.

Libellus eo, quo res gesta est, tempore in quarta, quatuor vocant, forma prodiit, anno locoque
 editionis non adjecto: & cum ægre hodie reperiatur, merito collectioni nostræ insertus
 est. *Henricus Senior* erat linea Welfebyanæ, Junior Cellensis; ille *Ottonis*, hic *Wilhelmi* fi-
 lius. Et mos tunc erat, ut cognomines Principes ejusdem gentis, eodem tempore ditiones
 suas regentes, ab ætate distinguerentur. Itaque postea, *Henrico Welfebyanano* extincto, *Henri-*
cus Cellensis cœpit Senior appellari, Junioris nomine in Welfebyanæ filium translato; neque
 Cellensis unquam *Medius* dictus est in authenticis Tabulis. Id ei nomen Genealogistæ imposue-
 re, dum diversi temporis Principes conjungunt. Cæterum ambo, quos supra diximus, Hen-
 rici junctis consiliis (literis diffidatoriis anno 1492 circa Festum D. Bartholomæi missis) urbem
 Brunsvicensem aggressi sunt, consultius quam posteri *Henricus Julius* ejusque filius *Fridericus Ul-*
ricus, qui Cellensem Ducem adversum habuere, sed infelicius quam novissimi fratres cognati-
 que Principes, qui tandem jura majorum in urbem regionis primariam recuperarunt. Autor
 noster in indice scriptorum, ad Buntingii Chronicum vernaculum Meibomianæ editionis adjecto,
Ludimagister Brunsvicensis appellatur: ab ipso autem Meibomio in Chronicæ Riddageshusano
 (Tom. 3 opp. pag. 379) dicitur civis Brunsvicensis Hildesiensibus ita favet, ut illinc oriundum aut
 certe illic egisse suspicere. Nam ad cognatum *Ludovicum*, de quo mox, scribit ex H. id est, ut
 puto, *ex Hildesia*. Nomen ex Germanico traductum crediderim, & *Telomonium* (vel ut Mei-
 bomius citat, *Telamonium*) se dixisse pro *Tilemanno*, quadam literaturæ *κανονίᾳ*. Sane
Tilemannum quendam *Schola* apud Brunsvicenses circa ea tempora *Rectorem* invenio in Collecta-
 neis Blockianis; unde excerpta, Tomo tertio hujus operis inserta, hujus etiam *Tilemanni* memo-
 riæ conservant. *Ornatomontanus* an *Zierberger*, haud dixerim. Aliquando *Ornitomonta-*
rum, (et si hybrida voce) id est *Vogelsberger*, in animo habuisse conjeci, quodeci a patria majo-

rum (ut sit) nomen fuerit. Ex ipsa dictione semicrudita, qualis tunc erat hominum per Germaniam elegantiae aliquid affectantium, literis caput efferre tentantibus, satis apparebat tempus scriptoris. Fidem non abnegandam puto: nam vidisse quædam, cætera a præsentibus audivisse se testatur. Imo annum 1494, quo pax conclusa, currentem vocat pag. 102: unde tunc Opusculum composuisse agnoscas. Librum ita inscripsit: *Brunsvici: belli novissime gesti descriptio incipit feliciter.* Subjiciturque Distichon:

Si te delectat Belli dignoscere cursum

Brunsvici breviter; me lege, & inde scies.

Ad Ludovicum nepotem, hujusque hortatu scripsit; quem Theologiæ operam dedisse significat. Non spernenda nec injucunda de moribus hominum sui temporis, in agro & urbe Brunsvicensi degentium, affert. *De Gralli Ludo*, quem quolibet septennio celebrabant cives, habet, quæ alibi non legas: Olympicis ludis comparat, parva magnis. *Henricum Seniorem* Duce magni & vasti animi fuisse ait, multo etiam loquendi lepore a natura præditum; infatigabilem & quietis impatientem. Cum Hildesiensis civitas Brunsvicensi auxilio futura, Henrico Seniori literas diffidatorias 21 Januarii A. D. 1493 misisset, nulla prorsus (inquit autor p. 96.) bac in diffidatione memoria de Hinrico Duce juniore fiebat, quoniam cum hoc ipso Principe Hildensem fædere juncti sunt firmissimo. *Ipsum semper tanquam suum Dominum & Principem gratiosum fovent, colunt & venerantur.* Pertinent hæc ad protectionem, quam ab antiquo Hildesiensis urbs a Cellensibus Ducibus grata recognovit. Quibus conditionibus demum pax coierit, aliunde rectius, quam ex nostro petas, cui arcana negotiorum parum cognita fuere. Tantum ex fama refert, urbem nescio quot aureorum summam annuam Duci in annos aliquot promisso in vim propinæ, id est, honorarii vice, quod in Duci officium cellarium inferretur. Id enim vocis proprietas indicat potius, quam jus pastus, ut ex Clemangio interpretatus est DuCangius verbis, quæ in notis, paginæ nostræ 102 subjectis, adducuntur. Germanis enim mos est, ubi bene accepti sunt, donare aliquid in die Kueche, in den Keller; id est, in officia coquinæ & propinæ seu cellæ. Ita Abbas Marienrodensis aliquid in propinam Episcopi Hildesiensis, pro munere accepto, solvisse dicitur in Chronico Marienrodensi, quod huic Tomo inseruimus pag. 454. Porro pag. 90. paulo post medium pro, Onacra fluvius leg. *Ouacra*. Etp. 94 in versu pro Non potest rectius poneretur non valet.

XIV. Excerpta ex Monasterii S. Michaelis Hildensem Necrologio.

Solent celebriores Ecclesiæ Fastis inscribere suis nomina beneficiorum vel amicorum, quorum commemorationem statim anni diebus faciebant, preces ad Deum fundentes. Dies autem obituarios observare solebant, quanquam interdum non nisi depositionis seu tumulationis dies notatos constet. Itaque *Necrologia* passim vocant, quæ veteres *diptycha mortuorum*, de quibus DuCangius. Libri etiam rationum vel alii catalogi, polyptycha aut poliptica interdum appellantur. Et a Diptychis hujusmodi, vel (ut aliquando scribunt) dipticis, fastorum seu Calendarii genere, Galli suum *etiquette*, ni fallor, formavere, id est, indiculum, agenda statim temporibus præscribentem; unde *Etiquette de la Cour, Etiquette du palais*. Quam originationem malim, quam, quæ viris doctis apud Menagium placuit a Græco *sixos*. Cæterum majorum Ecclesiarum Necrologia ad Historiam prosunt; nam indicant multorum Principum aliorumque insignium virorum dies obituarios, seu, ut vulgo vocant, *emortuales*. Tale nos edidimus Tomo primo cathedralis Hildesiensium Ecclesiæ Necrologium, multæ utique frugis. Sed cuius nunc excerpta damus, medii est generis: extat Manuscriptum in Bibliotheca Serenissimi Electoris Brunsvigo-Luneburgici; unde huc transtulimus commemorationes aliquot Principum personarum, Episcoporum & Abbatum. Et quidem 6 Idus Januar. habetur: *Illustris Domina Mechtildis, soror incliti Duci Ottonis de Luneborgh, & uxor nobilis viri de Slavia, nomine Henrici, quæ multa beneficia contulit Ecclesiæ nostra.* Intelligitur opinor Mechtildis, filia *Jobannis* Duci Luneburgici, soror Ottonis vulgo Strenui, quam nuptam scribunt *Henrico Domino de Wenden*. Vulgo dicuntur Domini de Werle & Wenden, quos Genealogia ex eadem cum Mecklenburgicis stirpe derivant. *Mechtildis*, quam diximus, in Monasterio Winibusano, non multum Cellis dissito, tumulata est. Porro p. 103 ad VII. Kal. Feb. pro dantur Ferto leg. *datur Ferto*. Et Kal. Feb. pro perpersak, leg. *pepersak*. Etp. 105 XI. Kal. Jun. Bruwile leg. *Bruwile*.

XV. Chro-

XV. Chronicon Ecclesiæ Halberstadensis.

APographum hujus Chronicæ operis ex Codice, nescio quo, sed mendoſiſſime deſcriptum, communicavit mecum Jacobus Fridericus Reimannus, non ita pridem in urbe Halberstadensi ſchola Martiniana Rector, nunc Pastor primarius opidi vicini Ermeslebiensis; Vir multæ doctrinæ, qui ſpecimina Historia Halberstadensis non ſpernenda jam dudum, & Ideam quan- dam Historiæ literariæ perelegantem nuperrime, Germanico ſermone in publicum emiſit; ut alia taceam, quæ partim präſtit, partim molitur. Habetur paſſim in Manuscriptis Historiæ Halberstadensium Epifcoporum, autore Johanne Winningſtadio, qui tempore Reformationis Lutheri floruit, primum Monachus Augustinianus cœnobii S. Johannis Halberstadensis, deinde apud Quedlinburgenses verbi divini minister. Hunc pleraque ex Chronicæ Halberstadensi Martini Rebbockii Monachi Corbejenſis, Præpositi in urbe Groninga Halberstadensis diœcelsi, hauiſſe refert Vir Cl. Christianus Franciscus Paulinus, cuius locum notavimus in präfatione Tomi nostri ſecundi accessionum Historicarum. Præſens Chronicæ, quod edimus, antiquius eſt, eo que fidei momentique majoris. Membranaceus ejus Codex olim exſtitit, ut mox dicam fuſius, in recenſione proxime ſecutura vitæ Alberti II Epifcopi; ſed nunc ubi lateat, diſcere non po- tui. Seculo XIII non admodum adulto ſcriptum appetit Chronicæ, cum finiat in Conra- do Epifcopo, qui circa A. D. 1109 Epifcopatu renunciavit, ſuccelforemque accepit Fridericum, in cuius vita enarranda versans Winningſtadius fatetur, quæſitum a ſe hoc Chronicæ, ſed inve- niri non potuifſe. Cæterum exhibetur in ejus initio Diploma fundationis, Ludovico Pio aſcriptum, ſed quod ſuſpectum videbitur conſiderantibus, contra jus, per capitulares conſtitutiones Ca- roli M. & Ludovici Pii ſancitum, omnem judicibus regiis poeſtatem in praediis Ecclesiæ adimi, qualia ſerius Epifcopi & Abbates obtinuerent, & dudum obtenta credi aut fecere aut voluere; ut Ducum Comitumque poeſtate omni exenti haberentur; fabula de Saxonia, Epifcopis a Carolo M. attributa, paulatim invaleſcente: quemadmodum & paulatim ſub iſpſis Carolingis Ecclesiastico- corum res a judicaria poeſtate eximi coepiſſe non negaverim. Sed & quod Hildegrinus Cat- alauensis, Ecclesiæ Halberstadensis Epifcopus appellatur, paruū accuratum eſt. Neque enim utique Catalauensis erat, ſed Frisius, Ludgeri Epifcopi Moaſteriensis primi frater. Catalauensis Epifcopus amplius eſſe non poterat, poſquam Halberſtadium translatus erat; neque enim tunc permittebatur Epifcopatum pluralitas. Cui bono ergo inſertum Catalauensis Epi- theton präter ſtyli diplomatici leges; niſi quod impoſtor putavit, eo melius ſimulari veritatem, quo plures circumſtantiae rerum personarumque exprimerentur; quæ tamen affectatio prodere potius ſucum peritis ſolet. Ultracēam ſuſpectam eſſe de Epifcopatu Hildegrini Catalauenſi nar- rationem. Ludgerus & frater Hildegrinus non Gallia, ſed patriæ Germaniæ deſtinabantur. Ludgerus demum inter annum 801 & 805 Epifcopus factus eſt; Hildegrinus (anno 796 adhuc Diaconus) muſto opinor ſerius, & ut ſuſpicor, extincto demum Carolo Magno, ad Epifcopatum pervenit. Apud Catalauos egilſe aliquandiu, & fortalſe preſbyteri gradum accepit, aut ad ſummu[m] Chorēpifcopi officio functum crediderim, quo inſtructior poſtea in Germania ſacrum munus obiret. Cæterum vere a noſtro referri credo, (pag. iii) diocesin jam a Carolo M. deſignatam & terminos deſcriptos in Palatio Salzenſi, ubi Saxones in eandem cum Francis rempubli- cam reſepti ſunt, ut habeat vetus Poëta Saxo. Sed non ſtatiu[m] Epifcopatum conſtitutio ad perfe- tionem deduci potuit, & filius demum paterna conſilia executus eſt. Notabilis quoque eſt de- ſcriptio limitum diocesis Halberstadensis, quæ extat pag. 111, ex quo ſciliſet pars ejus Magde- burgensi Archiepifcopo, Ottonis Magni voluntate, confeſſa fuīt. Refert noſter (p. 123) Bur- cardum Epifcopum Halberstadensem fuīſſe ex ſanguine Principum Bavariae, natum in loco Nap- purg. An Neoburgum, an aliud locum earum regionum, familiā Burcardi tenuerit, non di- xerim. Principum nomine antiquis temporibus non tantum Duces, Marchiones, Palatini aut Landgravii, ſed etiam Comites, präſertim potentiores, continebantur. Suſpicor huic cognatiſ ſuīſſe, ejusque occaſione in has oras adductos Comites de Winzenburg (primos Thuringie Landgravijs) quos etiam Bavaroſ facit Reinhardus Abbas Reinbusanus in narratione de monaſte- rii ſui fundatoribus, Tomo I a nobis edita. Versus de incendio urbis Halberstadensis, cum ab Henrico Leone vi caperetur, a Brufcio dudum citatos in Catalogo Epifcoporum Halberstadensium, & huic etiam Chronicæ noſtro inſertos, jam Meibomius ediderat in Chronicæ Marienthensi; ſed hic emendatius prodeunt Philippi Regis electio & in Saxonia reſeptio, tum Brunſvi- censis Urbis obſeffio aliaque, ad controverſiam inter Philippum & Ottōnem pertinentia non vul- garia, in noſtro Chronicæ deſcribuntur. Conradus Epifcopus, qui Constantinopolis expugna-

tioni per Latinos interfuit, cur a Pontifice Innocentio III excommunicatus fuerit, ignorare se ait Meibomius in citato Chronico Marienthalensi pag. 34: sed ex nostro autore discimus (p. 142) id factum, quod invito Pontifice Conradus Philippo Regi contra Ottонem faveret. Itaque ad declinandam tempestatem iter in Palæstinam suscepit, & a Venetis aliquis cruce signatis magno cum honore susceptus est. Constantinopoli capta, in Palæstinam perrexit; ubi a Cardinalibus, Apostolicae sedis legatis, ea conditione absolutus est ab excommunicationis vinculo, ut in Europam reversus, Romam adiret, & a Pontifice coram peteret confirmationem relaxationis a vinculo, cui innodatus fuerat. Quod & fecit, sed ea animi constantia, ut, cum Papa Philippum deseriri experteret, responderit Episcopus, *inobedient & se se quam perjurit notam incurrere malle*; inobedientiae scilicet erga Pontificem, quam perjurii erga Regem. Totam peregrinationis narrationem, illustranda illius temporis historię, satis alioqui obscurę, profuturam, exhibet noster. Errores quosdam graviores, a Typographo in hoc Chronico excudendo commissos, hic emendare placet. pag. 115 circa medium prō, similiter, leg. *humiliter*. pag. 116 circa medium, & alibi pro *Walckhusen*, legatur: *Walebusen*. p. 117 in notula, paginae subjecti (*) pro *Linderus*, leg. *Liuderus* sive *Ludgerus*. Idem error commissus pag. 118 paulo post medium. p. 117 linea quinta a fine leg. *promisimus*. p. 143 (in linea ubi *Dominus Fulco*, non procul a fine paginae) pro mysterium leg. *ministrum*. pag. 146 lin. II. a fine pro: quem *vellent* Episcopum, illis daret; leg. *vellet*.

XVI. Historia Alberti II Episcopi Halberstadiensis ex Ducibus Brunsvicensibus.

Aec olim adjecta fuit Codici membranaceo præsentis Chronicæ & inde exscripta, sed mutilata postrema parte (inde a verbis: ante *Crottorp Castrum*; quæ hic leguntur pag. 151, linea quinta a fine paginae) ad Henricum Meibomium Seniorem pervenit, editaque est a cognomine ejus nepote Clarissimo viro Tomo II collectionis operum Historicorum; qui in adjecta notatione ad Lectorem observat, integrum exemplum habuisse *Guilelmum Budeum*, passim ejus autoritate utentem, & finalia verba citantem: quale ergo Budæus habuit, nunc producimus. Autor Episcopo se coæcum fuisse, satis ipse ostendit: quis fuisse videatur, infra notabitur. *Albertus* ipse, primum Præpositus Eimbeccensis (ut comperi) deinde Halberstadiensem Episcopus, fuit filius *Albertus* Ducis Brunsvicensis, quem vulgo *pinguem* vocant; frater *Ernesti & Magni* Ducum, Patruus *Magni Torquati*. Cum A. D. 1324 in discordia electus esset, scilicet in factiones Canonicis, & parte in *Ludovicum de Neyendorp* inclinante: Metropolitanus *Matthias* Archiepiscopus Moguntinus pro Alberto pronuntiavit; Pontifex Romanus *Johannes XXII*, utroque æmulator rejecto, *reservationis* Papalis prætextu, quæ tunc mira hominum patientia contra veteres Canones invaluerat, *Gisekoni* vel *Giselberto* nobili Holsato Præsulatum detulit. Cessit Ludovicus, & mox studio Papæ, Brandenburgensis Episcopus factus est; sed *Albertus*, animo viribusque major, non cessit, & Pontificis autoritati, quæ tunc erat maxima, per multos annos feliciter restitit. *Giselberto* extincto, vigesimo Alberti Episcopi anno, *Clemens VI* alium huic *Albertum*, Burcardi Comitis de Mansfeld filium, opposuit, frustra. Tandem hoc quoque extincto, Albertus noster jam senior, paulo ante obitum Episcopatu cessit A. D. 1357 *Ludovico*, Marchionis Misniæ filio, qui octavo Episcopatus anno, ad Bambergensem sedem translatus est. Sed autor opusculi nostri ad finem vitæ aut Episcopatus Alberti II non pervenit. *Guilelmus* quoque *Budæus*, Medicus Halberstadiensis, vir in Historia patriæ egregie versatus, non nisi priorem vitæ Alberti II partem, annos regiminis 16 complexam, Germanico sermone descriptam edidit (Halberstadii in 1624) posteriorem, cuius spem fecerat, non dedit. Opus ejus commentarii vicem in id, quod hic nunc primum integrum damus, opusculum, præstare potest. Est in eo locus, qui & *Budeo & Meibomio* juniori negotium facessivit: ait enim autor, *Albertum*, solenniter urbem Halberstadiensem compositis turbis A. D. 1338 ingressurum, vocasse ad se duos fratres suos *Magnum & Ernestum* & duos patruos suos *Johannem & Wilhelmm*, Duces de Brunswick. *Wilhelmus* fuit ultimus lineæ Luneburgicæ; hujusque avus *Johannes*, & Episcopi avus *Albertus I* fratres fuere, ita, ut *Wilhelmus* & Episcopus inter se propatruos fuerint. *Wilhelmus* tamen Episcopi (credo, quod ætate proœctior) patruus appellatur, pro more scriptorum ejus temporis, in cognitionum vocabulis parum accuratorum. At quis *Johannes* sit, quæritur? *Budæus Magno*, Episcopi fratre, natum arbitratur; qui postea factus sit Præpositus major Halberstadiensis. Meibomius facile Budæo, diligentissimo talium observatori, credit, circa ea tempora *Johannem* quendam ex Ducibus Brunsvicensibus, majoris Ecclesiæ Præpositum, Halberstadii vixisse; sed hunc mavult *Henrici*, vulgo *mirabilis*, filium credere, quem Præpositum S. Alexandri in Eimbeccensi

beccensi urbe fuisse constat. Sane invenio, hunc *Johannem Præpositum A.D. 1367* defunctum, & *Einbecke* sepultum; quem Cl. Hofmannus Archivarius, etiam Moguntiæ & Monasterii Canonicum fuisse retulit; eumque Halberstadensem Præposituram nactum nil prohibet, quamquam certiorem probationem desiderem. Sed Budæo Meibomioque in eo non assentior, quod autoris nostri locum ad hunc pertinere arbitrantur; nam patrum vocat, quod fratis filio non convenit, neque in eo facile falli potuit autor, qui rebus interfuit. *Patruos* isti scriptores appellabant cognatos, qui seniores essent; at qui juniores, eos vocabant *nepotes*. Invenio igitur, *Johannem*, Wilhelmi Duci fratrem, alicubi memorari, quod optime consentit verbis autoris, qui *Johannem & Wilhelmm*, *Alberti patruos*, conjungit; *Patruos* satis apte vocans, qui erant, patris non fratres, sed consobrini. Et vero *Johannem* hunc administratorem Archiepiscopatus Bremensis factum constat; *Scholasticum Ecclesie Bremensis* Henricus Woltherus facit. Canonicum quoque Hildesensem fuisse, documenta ostendunt. Connexio ergo Principum Brunsvicensium, quos memoravimus, cum *Alberto* Episcopo, sequenti Tabula patebit; ubi *Characteris* genere a cæteris eos distinximus, qui solenni Episcopi ingressui interfuerent; ubi tamen in collaudandis fratribus non semper nos ordini ætatis astrinximus.

Otto I

Albertus I		Johannes
Henricus	Albertus II	Ottō
mirabilis		Strenuus

Johannes Præ-	Albertus Magnus Ernestus	Johannes postea Wilhelmus
positus in	Episcopus Dux in	Administrator Dux in Lu-
Einbeck	Halberst. Brunsvic. Gottinga	Bremensis nebburg.

Cæterum errores nonnullos, in edendo Opusculo admissos, hic corrigere oportet. pag. 148 lin. 12 a fine, pro in concordia leg. *in discordia*. pag 149 lin. 7 pro marchione leg. *Marchioni*. Et circa medium paginæ B. M. H. interpretari oportet *Beata Marie Halberstadensis*. Et lin. 9 a fine paginæ pro M. Henricum de Gotha malim legere cum Meibomio & aliis *M. Albertum de Gotha*. Nam, etsi sub finem paginæ hujus & initium sequentis habeatur, imperfectum M. Henricum, Doctorem decretorum; additur tamen, & imperfectum M. Albertum de Gallia, ubi non dubito legendum cum Meibomio, *de Gotba*. Sed pag. eadem 149 lin. 7 a fine, verba quædam omissa sunt. Nam pro celebrare prohiberent reverentia quæ decuit, legendum: *celebrare probiberent*. *Quod cum facerent reverentia, quæ decuit, insurrexerunt &c.* pag. 150 lin. 12 pro aut lege *ut*. Et lin. 22 pro conspirationem leg. *conspiracye*. pag. 151 lin. 1 pro seminariorum zizaniae diaboli privigni, Burcardo procurante leg. *seminatoris zizaniae Diaboli privigno Burcardo*. lin. 13 pro aliis, leg. *alius*. lin. 30 pro liberaliter, leg. *literaliter*. Sequentia etiam corrigenda: lin. 31 pro præstitum, lege: *præstitam*, & lin. 32. 33 pro verbis: castrum --- obligatum per suum juramentum temeravit, imo filii perjuria fallaciter solvit, legendum cum Meibomio: *castrum --- obligatum, per suum juramentum temerarium, imo falsum perjurium, solvit*. lin. 47 pro Revenkenberch leg. *Zevekenberch*, ut in sequentibus habetur. pag. 152 lin. 17 pro S. possidente, puto legendum: *semper possidente*. Cæterum narrationem, quam hic edidimus, autorem habere *M. Themonem*, ipsius Alberti II Episcopi Cancellarium, Budæus suspicatur pag. 135, quod verisimile arbitror.

XVII. Catalogus Episcoporum Hildesemensium.

XVIII. Præceptum Ludovici I & Henrici Sancti Imperatorum,
super terminatione & circumscriptione finium Ecclesiæ
Hildensemensis.

Didimus Tomo I pag. 742 Chronicon Hildesensis Ecclesiae ex authentico Codice sumptum, quod ab *Ekkehardi Uragiensis* opere non differre apparuit. Addidimus & p. 772 editum jam a Browero excerptum ex Vragiensi compendium. Nunc Catalogum Episcoporum, serius oblatum, adjecimus, cum habeat, quæ prioribus conferri mereantur. Sane etiam alia, ad res Hildensemenses pertinentia, ad manus nostras pervenere, unde nonnulla excerpta hic annotare, ope-

INTRODUCT. IN COLLECTION. SCRIPTOR.

ræ pretium visum. Vitam *Berwardi* Episcopi Tomo I dederamus: sed tunc non fuimus recordati ejus, quod ipse sibi scripsisse proditur Epitaphii. Itaque hoc loco subjicere placet:

Pars hominis *Bernwardus* eram, nunc claudor in isto
 Sarcophago diro, vilis & ecce cinis,
 Proh dolor, officii culmen quia non bene gesisti.
 Sit pia pax animæ, vos & Amen canite.
 Tempus adest, mea de terra quo membra leventur.

Hoc Epitaphium in fine mutilum videtur, quanquam non novum sit in talibus metri formam variari. Sed & *Bernardo* Episcopo Berwardi antecessoris Epitaphium tale tribuitur:

Bernwardus Præfus, cœlestis culminis exul,
 Iстic dum viveret, ne luce Christi careret,
 Omnia cernenti studuit parere parenti.
 Miraclis clarus jacet hic, Christo bene carus.
 Cui Deus in cœlis rapto, ductu Michaelis,
 Dignum cœlicolis præststit esse suis.

Anno 1515 Lipsiæ edita sunt opuscula qvædam *Henningi Pyrgalli* (an Feuerhahn?) Hildesiani, ubi inter Epigrammata unum est non spernendum in Berwardum; quod adjicimus ideo potissimum, qvia peritiæ ejus chymicæ mentionem facit, quam tamen in majus exaggeratam putamus. Inscriptio & carmen ita habent:

Ad B. Bernuuardum Comitem Sommersenborgensem, nec non Antistitem Hildesianum XIII, unicum Saxonum asylum, qui, ubi in ea religionis D. Benedicti æde sacra, qvam in præconium S. Michaelis Archangeli construxerat, annis C & LXXIII sub terra cuperat: tandem ad auctis post fata, ut in vita, miraculis, a Celestino summo Pontifice III in felici urbe patria Anno 1193 catalogo Sanctorum ascriptus est.

Nobilis Ottonum soboles, Bernwarde celebris,
 Unaque Saxonici laus memoranda soli.
 Tu pater es patriæ, superans Ciceronis honorem,
 Extulit aut si quos Martia Roma mares.
 Nonne vetat rivos labi natura per altum,
 Et tamen in tumulo cernimus illa tuo?
 Nonne soles itidem febres curare tremendas,
 Corporis ac nocuam quamque fugare luem?
 Hyldefianorum Tu moenia celsa peragras,
 Nec sinis hostiles posse nocere manus.
 Tu Polycleteos excellis jure labores,
 Græcia quicis mendax non putat esse pares.
 Et modo, vera loquor, nam transmutare metalla
 In melius poteras deteriora quidem.
 Ast non in pompam mundana negotia sive,
 Præstiteras quicquid fors ea fausta tulit.
 Ædes optasti verum ditare sacratas
 Verbigenæ, & cultum multiplicare Dei.
 Hinc modo regna colis superum sedesque beatas,
 Percipis & meriti præmia digna tui.

[Subjicitur ibidem]

Ecclesia de eodem.

O Gemma Saxonæ, norma pietatis,
 Decus tuæ patriæ, Bernwarde, Dux pacis,
 Nos oppressos erige, succurre turbatis,
 Et ad Christum dirige, Fontem bonitatis.

Addemus

Addemus ejusdem Pyrgalli Epigramma in Godehardum Episcopum Hildesiensem, inscriptione & tenore, ut sequitur:

Ad B. Godehardum, gloriosum Bavariæ Ducem, nec non Antistitem Hildesianum XIV, ac successorem D. Bernwardi.

Inlyte Bojorum Dux, o Godeharde, precamur,
Actibus a nostris cuncta pericla move.
Te Deus elegit, templi quo Virginis alia
Antistes fieres, atque Monarcha pius.
Lætare ergo frequens, Hildesia sacra, recondis
Quæ modo Pontificis membra beata tui.
Ille nitet meritis, languoribus atque medetur,
Nec sinit in cassum fundere quemque preces.
Hinc mea si cuperent depromere carmina laudes
Illius, ad calcem vix supereisset iter.

Errat autor cum aliis nonnullis, inter ea, quæ edimus, extantibus, Godehardum illustri Bojorum stirpe natum faciens.

Præcepta Ludovici Pii & Henrici Sancti de Terminis dioecesis Hildensis hic adjecimus, & notulis illustravimus. Sed ex Ludovici præcepto tantum excerpta adsunt. In eo *Heller*a designat Halleram rivum, & fluvius *Lagine* est Leina noster Hanoveram alluens. Pro Hellerei-sprig, puto legendum, *Heleres*-spring, hodie *Hallerspring*, ad Halleræ fontem. Consideratu digna sunt, quæ de pagis *Flenitbi*, *Green* & *Risgau* in præcepto Henrici S. habentur: sed illud maxime, quod Imperator se Ecclesiæ privilegium concedere ait pro conjugis prolisque regalis incolumentate A. D. 1013. Unde colligi posse videtur, vel habuisse prolem vel sperasse, quod notavi pugnare proposito servandæ virginitatis cum Conjuge *Cunigunde*; cuius consilii etiam nulla est mentio apud *Ditmarum* aut *Adelboldum*, aliasque contemporaneos. Et suspicatus aliquando sum, ideo suppressam majorem partem vitæ ejus, ab Adelboldo scriptam, fragmento tantum, quod Tomo I inseruimus, servato, quia ingenue narraverat, quæ posterioribus non satis vel sanctitati Henrici, vel virginitati Cunigundis convenire videbantur. Locus etiam notatu dignus est, quod Imperator idem, se suosque parentes buc usque sublimatos (ad Regnum & Imperium scilicet) in Hildensem Ecclesiæ gremio oriundos fatetur. Nempe progenitores Ottonum, veteres Brunsvicenses Principes, ad Hildensem utique diocesin pertinebant; in qua & *Ludolfus* Dux monasterium Gandeshemense fundavit.

XIX. Hermanni de Lerbeke Chronicon Episcoporum Mindensium.

A utor fuit Ordinis Prædicatorum ad ædem S. Pauli in Urbe Mindensi. Sed aulam Schaumburgicorum Comitum visitavit & secutus est, ut notavit Cl. Meibomius junior, qui editum ab avo Chronicon Comitum Schaumburgensium, a Lerbekio conscriptum, Tomo collectionis suæ primo inseruit. Desinit illud in A. D. 1404, quo obiit *Otto Comes de Schaumburg*. Unde tunc floruisse Lerbekium intelligas. Expungendaque est Nota utraque, me inconsulto p. 188 & 189 textui subjecta, ut concluderetur, Leerbeccium Episcopo *Volquino*, 1282 defuncto, contemporaneum fuisse, quia translationem corporis *Borchardi*, sub hoc Episcopo cum sanctitatis opinione defuncti, vidisse se testatur. Sed sciendum est, translationes multis post primam tumultuationem annis fieri solere. Chronicon suum Mindense, quod nunc edimus, Leerbeccius produxit usque ad *Ottonem* Episcopum, qui obiit A. D. 1398, ortus ex familia Dynastarum de Monte, prope Mindam: ejusque beneficio Dynastia post extinctam familiam ad Episcopos Mindenses pervenit. Sequentia Chronico alii adjecere, producitur enim usque ad *Albertum*, ex familia Comitum de *Hoya*, qui obiit A. D. 1473. Continuatores duo initio Codicis Manuscripti memorantur *Henricus Tribbe* & *E. Heveke*. *Henricus Tribbe*, filius *Reineke* (seu *Reinhardi*) Tribbe, fuit *Canonicus Ecclesie Mindensis*, & per lites & guerras multa dampna Ecclesie Mindensi & Episcopatu*m* intulit, de quo nibil scripte; sic illicet credi debet, quod antiqua manu, nescio cuius, margini Codicis ascriptum est; ubi etiam annotatur, *partialem* fuisse contra familiam de *Lethelen*, turbis civilibus urbis Mindensis implicatam, sub Episcopo *Wulbrando*. Cæterum p. 174 bis & p. 186 dicitur ut *babetur supra in Chronicā*, ut credibile sit, cum qui hæc scripsit, aliam quendam Chronicam (ut cum ipso loquamus) eamque magis universalem, Mindensi huic præmisisse. Add.

INTRODUCT. IN COLLECTION. SCRIPTOR.

p. 191. Citatur & ibidem nescio quæ *Chronica Saxonum*. Porro tria hactenus *Chronica Minden-sia* edita habemus; quibus nunc quartum, *Lerbekianum* addimus. Primum & brevissimum edidit *Johannes Pistorius* inter cæteros rerum Germanicarum scriptores, cum triginta diplomatis, quæ a *Carolo V A.D. 1530* mense Februario Bononiæ sunt confirmata. Alterum *Henricus Meibomius* avus cum aliis quibusdam scriptoribus Francofurti ad Mœnum A.D. 1620 publicavit, idemque nepos Tomo I Collectionis *Meibomianæ* inseruit. Tertium debemus Cl. *Christiano Francisco Paulino Isenacensi Medico*, scriptis Historicis non minus quam Physico-medicis claro, qui Collectioni id suæ, A.D. 1698 in 4^o editæ, inseruit, notisque illustravit. Hujus Chronicæ autor fuit *Buffo de Watenstede*, Canonicus Hamelensis Diœceseos Mindensis. Accellere *Wedge-chindi Duldorpii & Alberti Fryschmed de Polla* carmina in Episcopos Mindenses. Hi omnes seculo XV scripsere. Sed cæteris Mindensibus Chronicis amplius utique est *Lerbekianum*, quod nunc damus; unde non pauca discimus, quæ alibi non habentur: ex quibus in primis consideratione & examine digna sunt, quæ de origine *Comitum Blankenburgiorum*, aliis indicta, habet. Vult enim *Lerbekius*, *Annonis* Episcopi Mindensis, qui *Werner*, A.D. 1170 defuncto, successit, patrem fuisse Comitem in Wytesee, sic legendum pro Wytesen, infra (id est intra vel inter) Erfordiam & sylvam Harthe vel Harz. Est autem Witensee vel Weissensee, hodieque opidum Thuringiæ non incelebre, in eo, quem *Lerbekius* indicat, situ. Hoc mortuo, tres filios in aulam Imperatoris, commandantibus consanguineis, venisse, ibique gratia & autoritate floruisse; & extincto forte Comite de Regenstein, feudum ejus impetrasse refert. Nempe eadem postea Comitum de Regenstein & Blankenburg gens fuit. Credas, matrem fratrum, aut aviam, ex Regensteiniorum stirpe fuisse, eamque imprestiti feudi causam vel occasionem extitisse. Mater sane eorum *Oda* ab aliis quoque Mindensibus scriptoribus *Blankenburgensis Comitissa* appellatur; ejusque donaria memorantur, quibus Ecclesiam Mindensem ornavit. Porro ex tribus fratribus unus *Anno* creatus est Episcopus Mindensis. Hæc autem noster, quæ non exiguae patiuntur difficultates. Nam in Diplomate, quo Imperator *Fridericus I* Henrico Leoni concessit *forestum in Montanis Harz A.D. 1157*, testis legitur *Popponus* Comes de Blankenburg, cum filiis *Conrado & Sigefrido*. Popponem quoque Comitem de Blankenburg habet, quod Tom. I n. 47 edidimus scriptum Reinhusanum, quemadmodum & filium ejus *Reinhardum* Halberstadensem: ubi sub-intellexi tunc Episcopum, nunc video, subintelligendum *Prepositum*; quem testem donationis, ab *Henrico Archiepiscopo Moguntino* Reinhusanis Monachis anno 1157 factæ, reperit vir in his verissimus Joh. *Henricus Hofmannus*. Episcopi enim nepos (ex sorore opinor) dicitur ipse *Popponus*, hujus Reinhardi pater; neque Episcopi parens cum Abbe Reinhuso per temporum rationem, controversiam, de qua ibi sermo est, habere potuit. Sed hoc obiter. Porro *Reinhardus Halberstadensis Episcopus* etiam ante Episcopatum *Prepositus* illic fuit, & tunc nepoti suo Popponi, Comiti de Blankenburg, teste *scriptura Reinhusana supradicta*, a nobis nuper edita, prædia quædam coëmpta, in nuptiarum solennitate donavit. At Reinhardus ad Episcopatum Halberstadensem pervenit circa annum 1107, si Annalibus Hildesemensibus antiquis credimus (Tom. I script. Brunsvic pag. 735.) Itaque jam ante hunc annum *Popponus* Comes floruit, & uxorem duxit. Frater esse non potuit *Annonis* Episcopi Mindensis, qui non ante annum Domini 1170 ad Episcopatum pervenit: nec proinde hinc Comites Blankenburgenses initium capiunt. Hofmannus talēm antiquorum Comitum Blankenburgiorum Tabulam exhibit in opere, quod de *insignibus Principum Brunsvicensium* MStum reliquit:

Ippo vel Popponus Comes in pago Hartego;
uxor soror Reinhardi Episcopi Halberst.

Hugo de S. Victore	Popponus Comes de Blankenburg			
Reinhardus Præpositus in Halberstad	Henricus Comes in Blanken- burg.	Sifridus Comes de Blanken- burg	Conradus Comes de Regenstein	Jutta
Henricus progenitor lineæ in Regenstein	Sifridus progenitor lineæ in Blankenburg	Conradus	Fridericus	Bernhardus vel Burcardus
				Ipponem

Ipponem vel potius, (ut legendum censet) Popponem Comitem, progenitorem Blankenburgium, producit ex diplomate Henrici Sancti, qui A.D. 1008 Gandeshemensi Ecclesiae dedit curtem *Derneburg* in pago Hartingow, in pago *Ipponis* Comitis. Evidem diplomaticis copia quædam, non habet Ipponem, sed *Sipponem*, & pagum non Hartingau, sed *Bartberg*, qvi possit esse pagus alias notus *Bardegau* vel *Bardengau*, in quo sita fuit cognati nomihiis urbs vetus *Bardewiga*. Sed revera legi *Ipponem* & pagum *Hartbingau*, appetet ex editione diplomaticis, quam Dn. Leukfeldius in antiquitatibus Gandeshenianis dedit c. 14 pag. 13, quæ diserte habet curtem, quæ dicitur *Darneburge* in pago Harthega, in comitatu Ipponis Comitis. Et sane Derneburgum illud hodieque Halberstadii principes feudi jure a Gandeshemensi Abbatissa tenent, ut Leukfeldius pro diligentia sua & doctrina probe notavit. Concedamus ergo, Comitem, de quo agitur in diplomate, Ipponem fuisse, in pago Hartingau, ubi sita sane est Blankenburgica arx: sed certe per temporum rationem non potuit esse maritus sororis *Reinhardi Episcopi*, qvi anno 1107 aut circiter, id est, seculo post, ad Episcopatum pervenit; neque adeo pater Popponis, qvi paulo ante annum 1107 nuptias celebravit. Itaque hunc parachronismum viro diligentissimo excidisse miror. Popponi Comiti, qui sorore Reinhardi Episcopi genitus fuit, filios *Conradum* & *Sifridum* tribuit scriptura Reinhusana supradicta. Eosdem Popponi Comiti de Blankenburg tribuit diploma Imperatoris *Friderici I*, A.D. 1157 *Goslariae* dictum. Itaque eundem esse credibile est, et si tunc septuagenario majorem. Sed si eo usque vitam produxit, non appetet, quomodo (notante ipso Hofmanno) *Burcardus vel Bernhardus Comes de Blankenburg* A. D. 1152 Cœnobio in *Michelstein* jus fundi in *Evergodderode*, in quo structum cœnobium, donarit vel confirmarit, vivente non tantum fratre *Conrado*, sed & avo *Poppone*, qvorum tabulis sufficiebat accedere Bernhardum; nisi forte in numero anni sphahma est. Miror etiam, si Poppo Henricum filium habuit, Sifrido majorem (quod infert Hofmannus ex diplomate *cœnobii S. Thomæ* extra Urbem Halberstadensem de anno 1186, ubi autoritate *Gardolfi* Halberstadensis Episcopi cœnobium, priore advocate dimisso, novum elegit, & *Henricus ac Sifridus* Comites de Blankenburg inter testes citantur) cur Reinhusanus Abbas nullam ejus rationem habuerit, qvi tam & renuntiationis *Conradi* & *Sifridi*, & impugnationis *Reinhardi* mentionem facit. Ut adeo suspicer, diplomaticis anni 1186 mentionem, ad Henricum & Sifridum, filios *Sifridi*, nepotes Popponis pertinere, Henricumque Popponis filium nullum fuisse. Sed quid jam de *Annone* Episcopo Mindensi dicemus? Hic cum non ante annum 1170 Episcopus Mindensis factus sit, Popponis Comitis Blankenburgii, A. D. 1107 nuptias celebrantis, frater esse non potuit. Itaque vera Lerbekii narratio esse non potest, quod *Anno* cum fratribus Comitatum Blankenburgicum familiæ intulerit. Hofmannus Lerbekii Mindense Chronicon non vidit; sed ex Cranzi Metropoli lib 7 c. 9 & Chronicis Mindensi Meibomiano notavit, Annonem Episcopum ad Blankenburgios Comites referri; quod ipsi parum verisimile videtur, cum nullam ejus mentionem deprehenderit in Blankenburgicis monumentis, & Annonis nomen in ea familia non usurpetur. Itaque in mentem ipsi venit, æquivocationem subesse, & intelligi debere alios Blankenburgicos non ignobiles, qvi in pago *Flotwide* & in pago *Derlingow*, inter Brunsvigam & Gifhornam, circa locum *Popenteich* hodieque dictum, prædia habuere, quibus familiare fuerit *Ennonis* nomen. Sed Lerbekius diserte de Blankenburgiis loquitur, qvi & *Regenstein* tenuere; nec mirum fuerit, Annonis ibi nomen raro occurtere, cum & *Reinhardi*, post Halberstadensem Præpositum, non redeat: nec Blankenburgii illi sequiores Comitum axioma habuere, cum tamen *Ode* Comitissæ Blankenburgicæ donaria, quæ mater Annoni fuerit, Mindenses scriptores laudent. Itaque verisimile puto, Annonem Popponis non filium sed nepotem fuisse, & quæ Lerbekio memorantur de tribus fratribus, a *Weiffensea* Thuringia in Halberstadensem Diœcesin venientibus, non ad Annونem ejusque fratres, sed ad antiquiores pertinere. Hoc de Comitibus Blankenburgicis annotare operæ pretium visum est, quorum familia A.D. 1599 extincta, ditiones ad *Henricum Julium* Ducem Brunsvicensem & Episcopum Halberstadensem pervenere; & nunc Comitatus Blankenburgicus in ditione est Serenissimi Principis *Antonii Ulrici* Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis, cui in Guelfebytana arce, Brunsvicensi urbi (quam tenet) vicina, est regiminis sedes. Sed novissime Blankenburgicus tractus, sapientissimi Principis cura, Cæsareo munere ex Comitatu factus est *Principatus Imperii*, assignatusque filio ejus natu minori *Ludovico Rudolpho*, Princi meliorum literarum amantissimo, parenti *Elisabetha Christine* Reginæ Hispaniarum, cui decus virtute sua dignum fata tribuerunt. Cæterum Codex Chronicus Mindensis, ab Hermanno Lerbekio compositi, & ab aliis continuati, antiquior, & eodem certe seculo scriptus, ad manus meas pervenit: quem conferre licuit cum

Apographo, manu Cl. Maderi scripto. Hiatus tamen quosdam supplere non licuit: nonnullos ex aliis Mindensium rerum scriptoribus hic suppleo, & alia nonnulla errata corrigo: pag. 161 in Episcopo quarto pro Pago perthensi, leg. *percensi*, vel perticensi, quod est la Perche. In Episcopo quinto lin. 5 pro D. CCC leg. *DCCCC* pag. 163 lin. 5 pro ipse die Sancti ---- supple. *Bonifacii*. pag. 165 lin. 11 pro Saxonie & Bavariae leg. *Saxonia & Angaria*. Sermo enim ibi est de *Theoderico Comite de Werben*, qui fuit filius Marchionis *Alberti* vulgo *Ursi*, frater *Sifridi* (sic legendum pro Cifrido) Archiepiscopi Bremensis, *Bernardi* Ducis Saxonie & Angariae, & *Ottonis* Marchionis de Brandenburg. Et pag. 167 in Episcopo 12 lin. 23 ab initio: *dedit tria loca*, & lin. 40 pro fotariæ leg. *focariae* lin. 4 a fine, pro quilibet fratrum, leg. *cuilibet fratrū*. pag. 169 lin. penult. pro: *sacro*, leg. *sacra*. p. 175 lin. 15 versus sic corrigendus est: modo *dicor utrumque*. *Vive*, *tene*, *prabe* &c. lin. 20 & lin. 21 pro solum consecravit leg. *solus*. lin. 50 leg. *Henrici de Brunsvik*. p. 177 lin. 23 leg. *torniamenta*. p. 179 lin. 36 pro infectas leg. *intextas*. Et in mox sequente versu, pro me ---- composuerunt. leg. *me dudum* composuerunt. p. 183 lin. 23 leg. *Parisensis*. p. 193 lin. 23 pro tibi leg. *sibi*. p. 201 MCCCVI leg. MCCCCVI. p. 205 lin. 23 trucidaverunt, forte legendum *traxerunt*.

XX. Chronicon Episcoporum Verdensium.

Codicem hujus Chronicus authenticum, picturis Episcoporum ornatum, habui a Generofissili-
mo *Alvenslebio*, primum Serenissimorum Fratrum Ducum Brunsicensium Gvelfebytanorum
Rudolphi Augusti & Antonii Ulrici, nunc Potentissimi Borussorum Regis, Electoris Brandenburgici, Consiliario intimo. Picturarum in fine operis fit mentio, jussu *Bertoldi* Episcopi factarum; sed tanti non sunt visæ, ut ære redderentur. Hæbui etiam ad manum historiam Episcoporum Verdensium prolixiorum Germanico sermone conscriptam, a R^{mo} Abbe Luccensi *Gerrardo Molano* mecum communicatam, sed recentiorem utique: meum autem institutum est tantum vetustiora hoc opere complecti. Et sane Chronicon Latinum in *Bertoldo* Episcopo, adhuc dum vivente, finit, qui ad Hildesiensem Ecclesiam translatus, non ideo minus Verdensem, a Papa sibi commendatam, regere perrexit; vir ob doctrinam & eloquentiam laudatus. Hujus jussu codex scriptus vel potius continuatus videtur. In Chronico Corbejensi ad ann. 1430 (Tom. 2 pag. 317) hæc legimus: *Gregorius Hyrte, Lector in vicino monasterio, omnium Pontificum in Verden vias, ordine & prolixe descripsit, interjectis multis rarioribus rebus.* Et sane notabilia aliena passim hic insperguntur, ut ab hoc indicio autor hujus Chronicus nostri *Gregorius Hyrte* videri possit. Sed prolixitatem hic non satis agnosco: nisi Annalista Corbejensi prolixus visus est, qui non, more ipsius, res brevissime perstrinxit. Seqvitur hujus Chronicus Verdensis Autor errorem vulgarem eorum, qui *S. Swibertum* primum Episcopum Verdensem faciunt; de quo mox. Sed eorum tamen fabulae non accedit, qui *Brunonem* Episcopum Verdensem, volunt sub *Gregorii V* nomine factum Pontificem Romanum. In Verdensi diœcesi fuit urbs *Bardevicum*, proxima hodierno Luneburgo, non multum *Verda* diffita; fecitque vicinia locorum & nominum, & antiqua Bardevici celebritas, ut Verdensis Episcopatus nonnunquam *Bardevicensis* sit appellatus, & Bardevicenses Canonici aliquando literas ex Curia Romana mirantes acceperint, tanquam ad cathedralē Episcopi Ecclesiam scriptas. Diploma fundationis Ecclesiæ Verdensis, Carolo M. attributum, haud dubie supposititum est, ex Bremensi, apud M. *Adatum* extante, iisdem pene verbis descriptum; quod ipsum plerisque doctis pro genuino non habetur, de quo alias dixi cum cura. Sed insunt tamen utrique genuina & antiqua: limitum scilicet Diœceseos designationes; quæ Carolo, Saxoniam in Diœceses dispartire cogitanti, recte tribuuntur. Chronicator noster ante *Wibertum*, quem duodecimum numerat Episcopum, nihil habet de Ecclesia Verdensi, nisi nuda nomina Episcoporum, eaque ipsa non recte. Cranzius hoc Chronicon aut simile vidisse videtur (nam & citat tale quiddam) cuius etiam errores secutus est. P. 216 lin. penult. pro, qui, leg. *quia*. pag. 221 in Ep. 45 castrum unitum. leg. *unicum*.

XXI. Vita S. Swiberti, dicti Episcopi Verdensis, falso attributa Markelino Presbytero.

XXII. Ludgero attributa narratio de Canonisatione S. Swiberti.

Utrumque

UTramque scriptum supposititium esse non dubium est, & a multo posterioribus profectum. Quia tamen ante aliquot secula vixerunt veri autores, potuere aliqua novissc, quæ nos hodie fugiunt. Itaque hæc, ut alia Pseudepigrapha antiqua, conservari digna visa sunt. Plurimos errores, parachronismos, anticipations PseudoMarkelmi annotarunt Henschenius & Papebrochius, insignes viri, ad primum Martii, in commentario Historico de vita S. Suiberti, a §. II ad §. 57; & in nonnullis præiverat *Jacobus Gretserus*, qvi bene notavit, *Lotharingie & Monasterii* (Westphaliae urbis) appellations, & ejusmodi alias, (velut *Dacie* pro Dania, *Hollandie*, *Saxonia inferioris*, *Saxonia* tanquam Westphalorum regioni contradistinctæ) multo post Markelmi tempora natae esse. Evidem *Aegidius Gelenius*, vir doctus & diligens, cuius *magnitudine Coloniae* opus, & *vitam S. Engelberti* Coloniensis Archiepiscopi, aliaque nonnulla habemus, hujus, quam damus, vitæ S. Suiberti Apologiam edidit, hoc titulo: *Clypeus Swibertinus adversus jacula, quæ in scriptorē S. Swiberti contorquentur*; ubi ex tabulis, publica autoritate confectis, ostendit, librum hunc A.D. 1472 pro antiquo prolatum. Sed recte respondent doctissimi Antwerpienses, non ideo probari, multum ab eo tempore absuisse scripti autorem. Baronius in notis ad martyrologium Romanum dixerat: extare Suiberti acta, a Marcellino Presbytero fidelissime scripta. Sed *Holstenius* ibi annotavit, quibusdam doctis viris pro recentiori commento haberi. *Bellarminus* etiam, de autore tanquam genuino loquentem, *Labbeus* refellit. *Beda in Historia Ecclesiastica gentis Anglorum* narrat, *Willebrordum* Anglum cum sociis, in qvibus *Suibertus*, ad prædicandum barbaris Evangelium Christi, cum Pipinus (Caroli Martelli pater) Dux Francorum esset, in Frisiā venisse. Suibertum in Britanniā reuersum, ordinatumque Episcopum, Frisios repetiisse, & a Pipino *insulam Rbeni* habitandam accepisse. Hæc *Beda lib. 5 c. 12*, qvi locus hodie insula *Cæsaris* (*Kaisers-werd*) appellatur. *Alfridus* Episcopus Monasteriensis *Marchelnum* memorat Anglum, a *Willebrordo* enutritum. Atque is est, quem quidam, inflexa ad Latinum morem voce, *Marcellinum* vocant, eique vitam hanc Suiberti male tribuunt. Suibertum A.D. 713 obiisse, breves Francorum Annales, Tomo 2 script. Franc. Duchefnii editi, memoria prodiderunt. Episcopum Verdensem factum, nec ipse PseudoMarcellinus tam ineptus fuit, ut scriberet. Et tamen hoc Verdensibus nostris persuaderi potuit, ipsique adeo autori Chronicī Verdensis hic editi; cui visum est, Suibertum a Willebrordo missum, (ita diserte habet) Ecclesiae, a Carolo M. fundatæ, primum Episcopum esse potuisse, cum Willebrordi missio & Verdensis Episcopatus fundatio, integro sœculo distent. Cranzius, cæteris sagacior, errorem animadvertis, alium induxit Suibertum juniores, primum Episcopum Verdensem *Metrop. lib. 2, c. 6*. Sed nulla is veterum autoritate comprobatur. Verdenses ipsi non alium novere Suibertum, quam a Willebrordo missum; ut manifestum videatur, errorem ex eo natum, quod Suibertus Episcopus esset, (ordinatus a *Wilfrido* Eboracenſi Episcopo, teste *Beda d. I.*) & *Werda* (sed ad Rhenum; *werde* enim vox Germanis insulam significat) habitaret. Pro Werda autem a posterioribus eo facilius Verda vel Ferda substituta est, quod Werda monasterium tantum, vel (ut hodie) Collegium Canonicorum, Episcopatus nullus esset. Ignorabant scilicet, Suibertum Episcopum regionarium fuisse, nulla assignata fixa sede; ut scilicet obire regiones Evangelii causa posset: qua ratione & *Bonifacius* sede certa caruit, donec *Moguntiaci* committeretur. PseudoMarcellinum cur nostro operi insereremus, inter cæteras causa fuit, quod memorat, Suibertum in Ostfaliā nostram venisse, & in grandi vico, *Brunsvic* dicto, diebus aliquot, favente loci Satrapa, Christum prædicasse. Hæc qvam vere narrantur, non dixerim; nec tamen falsa esse, præfacte affirmare ausim. Et licet *Brunonis* vici nomen loco posterius inditum merito censemur; sunt tamen, quæ verisimile faciunt, vicum vel villam eo in loco jam extitisse, antequam a *Brunone* coleretur, nomenque acciperet, quod nunc habet. Sane pars urbis hodieque dicta *Olde wyk*, *vicus vetus*, huic sententiæ favet. *Rixfridi* Trajectensis Episcopi Epistola & interrogatio de Canonisatione Suiberti, & *Ludgeri* ampla responsio seu narratio, haud dubie non tantum suppositiæ, sed & ineptæ sunt. Fingitur, *Stephanum* Pontificem Romanum, ubi in Franciam ad *Pipinum* Regem venit, *Hildegero* Colonensi Episcopo in mandatis dedisse, ut, inquisitione facta, Suibertum Sanctum declararet. Hunc Sancti viri corpus elevasse. Postea *Leonem III* cum Carolo M. Werdam venisse, & ibi lecta vita, a S. Marcellino (si Diis placet) scripta, Suibertum solenniter in sanctorum numerum retulisse; multaque tunc miracula contigisse. Sed hæc recitasse est refutasse, meritamque in ea censuram dudum doctissimi Antwerpienses strinxere. Noluimus tamen hanc vitæ appendicem a reliquo divellere, cum præsertim a Baroniō aliisque non raro citetur.

XXIII. Excerpta ex Opere Johannis Rhode, Archiepiscopi Bremensis, quod a nonnullis Chronicon appellatur, & inscribitur: Registrum Bonorum & jurium Ecclesiae Bremensis.

Henricus Schwarzburgicus cum ab anno Domini 1463 Archiepiscopum Bremensem triennio regisset, Monasteriensis Episcopus esse maluit; Bremensem tamen Archiepiscopatum per 30 annos, titulo administratoris, retinuit, & se simul *Administrator & Archiepiscopum* scripsit; quæ duo parum cohærere videntur. Defuncto successit *Johannes Rode*, ex honesta urbis familia, Præpositus majoris Ecclesiae; alterius *Johannes Rode*, itidem Præpositi & Apostolicarum Bullarum correctoris, ex fratre nepos. Is magno studio in bonis Ecclesiae redintegrantis laboravit. Sed cum ministeriales plerumque adversos haberet, qui a plebejo, si Diis placet, homine (verba Cranzii sunt in metropoli lib. 12 cap. 23) gubernari ægre ferebant; *Christopherorum Brunsvicensis*, Henrici Senioris filium, coadjutorem sumvit, qui demum ei A.D. 1511 successit. *Johannes Rode*, jurium Ecclesiae conservandorum studiosus, librum de illis collegit, partim Latino partim vernaculo sermone, qui passim habetur, ejusque non unum exemplum vidimus. Excerpta damus hic utiliora; sed quæ in urbes, Bremensem, Hamburgensem, & vicinos passim acriora, & controversiis obnoxia dixit, testis in propria causa; non facimus nostra: negligendum tamen eum non putavimus, quia Historiam Ecclesiae suæ & vicinarum regionum non mediocriter illustrat, & multa, alibi indicta, docet. In Catalogo Vasallorum (qui in excerptis casu omisssus est) distinguit Nobiles Vasallos a Ministerialibus. Nimurum, qui nunc Nobiles vulgo audiunt, olim non nisi *ministeriales*, aut militares (id est equestres) dicebantur, quod & Cranzius passim observat. Nobilium appellatio Comitibus, aut Dynastis, non multum inferioribus, propria erat. Inter Vasallos Nobiles recenset: *Comitem in Oldenborch, in Oldenbrockbusen, in Nygenbrockbusen, in Stotele, in Stoltensbroke, de quo addit, ubi ipse habitavit, nescitur.* Tum Nobiles de Depholte, de Grymberge, de Stumpenhuse, de Macchtenstede, de Barmestede, de Hafeldorpe, de Bederickesa. Nobiles scilicet intelligit Dynastas, ut dixi, qui Comitibus fere æquabantur. *Ministeriales* ita recensentur: *De Borchman van Horneborch, de van der Borch, de van Bliderstorp, van Dammensee, van Oesten, de Schulten, de van Bachtenbroke, de van Tzesterfleete, Wandages (olim) geheten de Grysen. De Borchman van Vörde, de van Borbolte, van Edzelendorp, Selsingen, Elme by Vörde, Stade, van der Lydt, de van Rade (de wurden uth desem Lande verdreven) de van der Kulæ, de van Schwinge (nu geheten de van Brokbergen, unde Borchman darfulves) de van Oestenhagen (de sind vorkamen) de kinde van de Kranenborch (de sind vorkamen) de Borchman van Lunenberge, de Bicker, de Borchman van Ritzenbüttel, geheten de Lappen; sind alle deenstmanne gewesen des Stichts, alse men findet, und in allen saten, dar de deenstmanne des Stichts gesatet sind. De van Elme by Bederickesa sind alle Stichtsmanne gewesen, van den van Bederickesa uthgespraten, unde waren machtige dienstmanne des Stichts. De van Vlogbelingen, de Borchmanne van dem Langwedel &c. de van Hagen, van Clauenbeke, Etze, Gylten, Arbergen, van der Vare, Bysberge, van der Helle (nu geheten de Monnike) de Cluver, de Borchmanne van Dettenbusen, nu geheten Teddingbusen, de van Amendorp (de Spaden hebben ohr gudt) de van Wechelte, Bücken, Hassel, de van Sassen (nu geheten Kortebaken) van Berßen, Wyge, Clenken, (Wandages geheten de Klenkocke) de Spaden, de van dem Horne. De Borchmanne van deme Otterberge; de Cluver sind dar ok Borchmanne gewesen, nu hebben de eine eigne waninge gebuwt, geheten de Borstel. De van der Helle sind dar ock Borchmanne, de van Otterstede, de van Honborst. De deenstmanne des Stichtes van Bremen aver der Leffmen, de van Owmunde (de weren mechtig, unde hebben deme Stichte vele denstes gedaen; de bowden den Blomendaell, den de van Bremen nu hebben) de van den Schonenbeke (dat sind rechte van Owmonde, sebowenden, ende van Oumunde, den Schonenbeke, darvan hebben de den Namen) de van Marsel, de van Leesmen (de synd nu korter tyt vorkamen) de van Sandbecke (de synd ryke gewesen unde vorkamen) de van Wijsterbeke (man secht, da sind de van Sandbeck van gekamen,) de Kniggen by der Borch, de van der Hude. De Stedinge hadden den Blomendale mit den van Owmunde, unde hadden ore Erve unde guth darinne lang liggende. De van Gropelinghe hebben gude deenstmanne gewesen; hadden dat Richte twischen der Borch unde Bremen, de van Walle waren ok gude deenstmanne. De sind ganz vorkamen; ore gud is binnen Bremen geervet mit frowes-personen, so wol alse de von Gropeling. De van Wersebe, de*

de hebben gude Woninge, unde der is vele gewesen, unde hebben ok menigerleye namen gehadt. De van *Duringen* hebben ok gude Deenstmanne gewesen. De van *Reken* sind verkaamen, dat gudt is noch in dem Lande; we dat heft, de scholde dar wol van denen. De van *Stelle* de sind vorkamen. De van dem *Schwane wede*, de *Groninge* (anders geheten *Gronlande*) de *Nuckele*, de van *Beckesbovede*, de *Nagele*. *Dinstmanne in dem Lande to Kedinge*, de van *Reymersbusen*, de van *Ruioven*, de van der *Wisch*, de van *Nindorpe*, van der *Deesse*, van *Hadelen*, van *Vrendorpe*, de van *Bassenflete* (nu geheten de *Platen*) de van der *Geren*, van dem *Steghe*, de *Kulen*, de *Halle* (dat sind *Rutowen*) de van der *Deken*, de *Korve* (dat sind *Vindorper*) de *Bremer*, de *Roden*, de van den *Borstell*, de *Brummer*, de *Monyke*, de *Schwarten*, de *Lutken*, de *Grelleken*, de *Katten*, de *Pluckebosken*, de *Loffen*, de *Gerdesmanne*, Otto Dreves, dat sind *Kulen*. Dese nabeschrevene hebben ok wandages der kercken to Bremen dinstmenne gewesen, unde der noch vele mehr, de vorkamen sind; doch etliche sind noch in wesende: de van *Bremen*, de van *Oldenesche*, (anders geheten *Moylike*) de *Schloeren*, de *Schewentorf*, de *Kosse*, (anders geheten de *Mundel*) de van *Madeien*, de *Mulen*, de *Boge*, de van *Line*, van *Elmelo*, van *Almeslo*, de *Vleckschilde*, de van *Butle* (nu geheten de *Walen*) de van *Barde wisch*, de van der *Durven vorb* (nu geheten *Bunkensborg*) de van *Bardes-Vlere*, van dem *Hardenstrom*, van dem *Nienlande*. Dese vorgescreven sind en deel *Borchmann tho Wildeshusen* gewesen, en deel *Borchmann tho Delmenhorst* gewesen: doch richteden sick alle tydt na der kerken tho Bremen myth denste unde anders. Men vynd in *privilegiario*, dat vele mehr deenstmanne synt gewesen, de hir nicht inne benomt sind, der ore namen ok sere vorkamen sind. De macht und Deenst des Stichts van Bremen is sere vorkamen, de iss alle en weghe; we de recupereren schall deme mag Gott helpen. Cæterum opus totum ita incipit: *In dem Nabmen de H. Dreifoldigkeit, des Vaders, des Sobnes und des H. Geistes hevet sich an düt Bock, darin beschreven is, wo de Hochwürdige Kerke tho Bremen fonderet und gestiftet is, und we de fonderet und gestiftet heft; item in wat Jabe de gestiftet und funderet is. Item vor damede bewedmet, befreyet und begavet; item wat Land und Lude darto gehöret haben, und noch gegenwardig darto gehören; so mandat woll in olden privilegien, segeln, und Breven findet, de noch alle woll verwabret sind.* Dicitur, Carolum Regem A. D. 787 Episcopatum Bremensem fundasse, & Saxones, cætera libertati suæ relictos, ad decimas Ecclesiæ solvendas astrinxisse; Widikindi filium *Wicbertum*, hujus *Walbertum* fuisse, qui corpus S. Alexandri attulerit & collocarit in oppido Wigaltinghusen, hodie *Wildeshusen*: aliaque id genus, quæ satis alibi habentur, nec errorum expertia sunt. Habentur & alia multa in hoc opere minutiora, de bonis & juribus Ecclesiæ Bremensis, quæ præterire visum est, tanquam prolixiora & minus in rem nostram facientia; cum & pleraque vernaculo sermone tradantur.

XXIV. Chronicon Saxonum Quedlinburgense.

Hoc Chronicon more talium ab initio mundi incipiebat: sed præcedentia pervulgata, & ubique hiantia, omittere placuit usque ad Valentinianni tempora, ubi de Francis & Alemaniis sermo instituitur, et si fabulosus, quasi ambæ nationes ad *Meotidem* paludem egissent, & illi ex Trojanis descendissent. Inde filum Historiæ annaliter pertexitur, usque ad Annum Domini 1025 & ultra. Quousque autem opus perrexerit, non satis constat, quia finis deest: autorem tamen ab hoc tempore non multum abfuisse, apparet. Sed multi passim anni transsiliuntur. Sæpe noster convenit verbotenus cum *Chronographo Saxone*, quem in Accessionibus Historicis primum edidi; sed & sæpe ab eo differt, ut ambo ex eodem fonte vetustioris Scriptoris potuisse subinde videantur. Itaque, ut antiquiora omittam, ab Anno Domini 927 ad 961 plane differt noster a Chronographo illo. Inde usque ad Annum 984 vacat, sed postea plurimum consentit, in primis circa annum 993 usque ad *Henricum Sanctum*. In rebus Ottonis III Chronographus copiosior est, sed in rebus Henrici Sancti Historicus Quedlinburgensis. Circa initia hujus Principis in multis conspirant, sed post Annum 1008 fere in diversa discedunt; & ad Annum 1021 noster de *Quedlinburgensis* Ecclesiæ consecratione copiose agit, & alias subinde res illius loci, itemque Halberstadenses attingit. Hoc Chronicon *Georgius Fabricius Chemnicensis* habuit, & subinde ciitat. Continet sane non pauca, quæ alibi frustra quæras: atque ideo dignum visum est, quod conservaretur. Exempli causa de *Excidio Regni Thuringici* quædam refert, quæ aliunde, quam ex Witikindo Corbejensi, sumta esse oportet, veluti quod *Theodericus Rex Francorum*, Clodovai M. filius, post viatos Thuringos dederit Saxonibus omnem eorum terram, excepta, quam *Loudia & Harz* sylvæ concludunt; qui fines sunt Thuringiæ hodiernæ. Apparet enim, *Louvia* nomine hic designari, quod vulgo appellamus *Thuringicam Sylvam*, (*Thuringer-Wald.*)

Nam & in medio Thuringicæ sylvæ prope Smalcaldam, auf der *blossen Löben* appellant hodie locum, ubi Saltus nudus & arbores rarae. Qyanqva origo vocis esse videatur ab arborum frondibus: nam *Laube* hodieque est tectum ex frondibus foliisque. Et antiquissimi mortarium, vivendi rudes, talibus tectis pro domibus saepe utebantur. Hinc passim, per Thuringiam australiem pariter & septentrionalem, locorum, vicorum, oppidorum nomina in *lebam* terminantur. Atque ita Saxones pertigisse autor scribit usque ad confluentes *Unstrut* & *Sale*; & Regio Thuringorum veterum, Saxonibus concessa, diu *Nort - Thuringia* adhuc in Diplomatibus appellata est. Fabulosa multa aspergit noster; velut quod Rex *Theodericus* etiam dictus sit Hugo, & quod *uxor Irminfridi* Regis Thuringorum fuerit filia Clodovæ, soror *Theoderici* Regis Francorum; cum filia fuerit *Theoderici Regis Ostrogothorum*, in Italia dominantis; in quo erravit & Witikindus. Illud notandum quod *cantiones de Theoderico illo Gothorum Regé* jam suo tempore antiquas extitisse scribit noster. *Etsi*, inquit, fuit *Theideric de Berne*, de quo cantabant rustici olim. Haec cantiones postea etiam in septentrionem penetrarunt. Non satis appareat, cur *Theodericum* appellant *de Berne*, seu Veronensem, cum *Ravenna* potius egerit quam Veronæ: nisi forte nostri homines ex Ravenna, minus nota, Veronam notiorem fecere, quippe a Germaniæ finibus parum remotam. Habet etiam noster, quod Poeta *Saxo* vetus: anno 803 in palatio *Salz* Saxones antiqua libertate donatos, decimis exceptis. Sed potissimum hujus autoris usus in posterioribus annis comperietur, ad quædam in historia supplenda; in primis, ubi *Ditmar Episcopi Mersburgensis Chronicon* desit. Pag. 281 lin. 37 pro *Tithuricus* legendum *Fritburicus*. p. 283 pro *Leidulfo* Comite Capuano putem ponendum *Landulfum*. lin. 40 defunctionem leg. *defectionem*. p. 295 lin. 5 a fine leg. *unclo etiam sibi*.

XXV. Annales Corbejæ Saxonice antiqui, sed subinde interpolati, & ad annum Domini M CCCCLXXI continuati.

Hos Annales debemus Viro egregie docto *Christiano Francisco Paulino*, qui acceptos retulit *Michaeli Uranio*, Gymnasi Hersfeldensis quondam Rectori, Germanicarum antiquitatum studiosissimo. Res memorables per annos in Monasterio celeberrimo consignabantur variorum laboribus, qui sibi lampada tradebant. Citantur anno 982 notata *Iribordi de Amelunxen*, qui anno 1082 clariusse in hoc ipso Chronico perhibetur. Et ad annum 1097 *Marcwardus* Abbas iussisse scribitur, ut quibus Præpositus monasterii Corbejæ subjecti, Chronicon ejus mitteret, ad futuram rei memoriam: quanto magis eum consuluisse credendum est memoriae rerum, in ipsa Corbeja gestarum. Mandatum *Marcwardi* renovavit *Wicboldus* 1150; & circa annum 1206 *Ditmarus* Abbas omnes, quas potuit sacris occupationibus & rei œconomicæ subtrahere horas, impedit historiis & rebus in patria gestis, cooperante *Mauro* Monacho. Sed qui ex veteribus schedis in hanc formam redigit omnia, & ad sua tempora produxit, fuit *Antonius* ex gente *Snakenburgiorum*, Corbejæ Monachus, & postea *Hersfelde*, ubi anno 1476 decessit, notante *Paulino*. De Snakenburgiis *Leznerus* in Chronico Einbeccensi, & in Editione 1604 vita *Ludovici Pii* c. 162 agit; notatque, castrum *Snakenburg* in Sollinga sylva nostra prope *Hildegardeshusam* olim stetisse, nunc dirutum; nec familiam nobilem superesse, sive extincta sit, sive, ut ipse suspicatur, pulsæ. Sane autor se *Antonium* vocat ad ann. 1434, & serpentes (Saxonibus & Anglis *Snaken*) esse insigne suæ familie innuit ad ann. 1464; quod ita esse habemus apud *Leznerum* dicto loco, nempe in Chronico Einbeccensi vel Dasselensi lib. 4 cap. 15. Multa sunt memoranda in his Annalibus, & profutura antiquitati nostræ illustrandas. Anno 833 mentio fit *Ducatus Butineldis* ex diplomate *Ludovici Germanici*. Mirum, quis ille *Ducatus*. Eruimus ex vita *S. Ludgeri*, locum hujus nominis inter prædia *Witikindi Magni* fuisse, & ab eo habitatum aliquando. *Witikindo* *Ducatus* axioma tribuebatur: id deinde loco habuit, ut solet. Ita *Ducatus Wormatiensis*, *Rotenburgius*, *Lovanensis*, quod *Duces* in illis locis habitarent. Sic per errorem nata est *Marchia Stadensis*, cum *Marchiones Septentrionales* (id est, *Brandenburgici*, quæ *Marchia procul Stada*) simul *Stadam* haberent, ibique subinde habitarent. Ad annum 839 sic legitur: *Preradbertus commonachus noster claruit pietate & doctrina, a Basiburato Episcopo in Patherburn valde dilectus*; & ad annum 843: *Preradbertus lector eximium librum scripsit de Fide, Spe & Caritate*. Haec legens quis non crederet, fuisse in nostra Corbeja lectorem quendam *Preradbertum*, etsi alibi inter scriptores Ecclesiasticos haud memoratum? Sed inquisitione tandem apud ipsos Corbejenses facta, jussu reverendissimi & cellissimi Principis Abbatis copia mihi operis decreta est; ubi ex ipso statim initio intellexi, deceptos fuisse, quicunque fide Annalium loci, *Preradbertum* admiserem. Ita enim liber incipit: *Pr. Radbertus Weringo Corbejeni Abbatii & Archimandrita suo satutem.*

tussem, Legendum *P. Radbertus*, id est, *Pascasius Radbertus*, sic enim ipse se appellare solet, Monachus & tandem Abbas Corbejæ Veteris: quem ad *Warinum*, Abbatem Corbejæ novæ, etiam alias scriptissime constat; clarus seculi sui vir, & dux eorum, qui circa Eucharistiam Scholastico-rum doctrinæ prælustrare. Decepit credo Corbejenses nostros jam olim, quod Archimandritam *suum* vocans, sese Monachum ex ejus Monasterio profiteri visus est. Sed idem sensus est, quasi dixisset: Radbertus Warino suo, Corbejeni Abbatæ &c. salutem; uti Cicero *Attico suo* scripsit, id est, amico. Pr. interpretarer Presbyter Radbertus, nisi constaret, Diaconatus gradum non excessisse. Radbertus ipse prius in Corbeja Gallica eundem *Warinum* & *Anscarium*, aliosque insignes viros discipulos habuit, tandemque ad Abbatis in ea dignitatem ascendit A. D. 844. Ab *Adalardo* & *Wala* fratribus in Saxoniam missus aliquando fuerat, ut *Corbejæ novæ* Monasterium, quod illi fundarant, absolveretur: non raro etiam ad Imperatorem & alibi legationes obiit. Cæterum Radbertus opus suum de corpore & sanguine Domini ita inscripserat: *Pascasius Radbertus Placidio suo salutem, dilectissimo filio & vice Christi presidenti Magistro.* Hunc Placidum non alium fuisse quam hunc ipsum Warinum, Corbejæ nostræ Abbatem, *Ecberti* Ducis filium, invenit vir insignis Joh. Mabillonius, probavitque in seculi IV Benedictini partis & præfatione, & librum notavit pro Monachorum Saxonum tironum instructione scriptum fuisse. Ad eundem ergo Warinum, eodem plane consilio, hoc quoque opusculum de Fide, Spe & Caritate misit, in Præfatione ita scribens: *Tuis, quos de tirocinio ad perfectiora provebis, capitulatim pandere jussisti &c.* Hæc de incognito haec tenus Pascasii Radberti opere, quod edi utique meretur. Cæterum memorantur in hoc Chronico & *Addastonis* (nisi corruptum nomen) Monachi Corbejensis *Commentarius in Danielem* circa annum Domini 901, *Warina* Episcopo Hildesemensi, antea Monacho ejusdem Monasterii, dicatus; & alius *Floriani* Monachi in *librum Iosuæ & Psalmos Davidis* ad A.D. 1214; & *Hermannii* Abbatis *Meditationes in Psalmos* ad A.D. 1250; & *Herrandi* Abbatis Ilsenburgensis, tandemque Episcopi Halberstadiensis *Sermones in Epistolam S. Jacobi*, tunc compositi, cum esset Monachus in *Reinbardsbrunn* Thuringia; & Ruegeri (an Rurgeri?) *Prælectiones in Proverbia Salomonis*. Sagas jam anno 915 in territorio Corbejensium combustas, in hoc eodem Chronico notari miror; neque enim alias observo, tam vetustum fuisse morem crudelis credulitatis. Familia *Comitum de Walbecke*, quam *Ditmarius* Historicus, idemque Merseburgensis Episcopus, claram reddidit, ab *Henrico Meibomio seniore* illustrata est. Huic aliquid accedit ex hoc Chronico. Nam anno 997 habetur, *Thiatmarum* Abbatem fuisse fratrem Comitis de *Walbecke*, Romanum missi; credo *Sigefridi*, Ottoni III fidi, qui pater fuit *Ditmari* Episcopi. Et ad annum 1020 dicitur *Sigefredus*, frater *Ditmari* Episcopi in Mersburg, & *Brunonis* Episcopi Verdensis, ex Monasterio Bergensi ad Albin, (id est prope Magdeburgum) vocatus Episcopus *Mimigardevordensis*, id est Monasteriensis. Is est *Sigefridus*, cui frater historiam suam, Episcopus Abbati, dedicarat; ejusque novissimam dignitatem notare non potuit, quia ipse obiit anno 1018. Itaque & *Brunonem*, quem Historicus non nisi ut novæ Corbejæ Monachum memorat, Verdensem Episcopatum obtinuisse ignoravit. Cæterum hinc intelligas, quam cara familia Cæsaribus fuerit, qui tunc fere insulas distribuebant. Tabulam ergo Genealogicam ab aliis datam, ex his augeas, quæ unciis inclusimus:

Lotharius Comes Walbecensis

<i>Sigefridus</i> Com. Walbecensis servit fideliter Ottoni III [a fratre Abbatæ Romanæ mittitur 997.]	<i>[Thiatmarus</i> Abbas Corbejæ novæ]	
<i>Ditmarus</i> Ca- nonicus Magdeb. post Episcopus Mersburgensis. obiit 1018.	<i>Sigefridus</i> Abbas Monasterii S. Johan- nis juxta Magdeb. [fit Episcopus Mo- nasteriensis anno 1020.]	<i>Bruno</i> mona- chus novæ Corbejæ [tan- dem Episco- pus Ver- densis.]

At bonus autor Chronicus (vel potius interpolator) in eo peccavit, quod paulo ante *Brunonem* alium Verdensem Episcopum introducit, fundatorem *Ulfensis* Monasterii, in Lunc-

burgico agro, & factum Papam *Gregorii V* nomine, vid. ann. 990, 996; qvod de Pap. *Iudum* explosimus. *Witikindo* Historico, Corbejensi Monacho, erectum ab Abbatu Hosat m. imen-
tum, proditur ad annum 1004. Et ad ann. 1111 habetur, *Eggehardum Abbatem* (nempe Uragensem) inscripsisse *Chronicon suum* (*Hildesheimense*) Erkinberto Abbatu (scilicet Corbejensi.) Id *Chroni-
con* Tomo primo Scriptorum nostrorum, Brunsicensia illustrantium, in lucem prodiit. Id scri-
bitur dicatum Egberto Abbatu, sed legendum e Erkinberto, ut hinc discimus. Notatu dignum
est, rei Heraldice nascentis vestigium ad annum 1115, ubi *Heidenricus* quidam dicitur Abbatu Corbe-
jensi Erkinberto dedisse insigne suum de argento, ex quo, capite detracto, commode bibebat.
Hic docte conjectit *Paulinus*, *Heidenricum* fuisse ex familia *Hevenbusorum*, qui inter vasallos
erant Corbejenses, &, notante *Leznero* in vita *Ludovici Pii*, gallina pro insigni in scuto galeaque
usi sunt. Nam commode poculum gallinæ formam habere poterat, cui caput pro operculo
esset. Et favet, quod usitatum in ea gente *Heidenrici* vocabulum; nam circa annum 1199 *Hei-
denricum de Hevenbusen* memorat idem *Leznerus*, in minutis istis non spernendus. Rara sunt
circa initia seculi XII rei Heraldice vestigia, eoque diligentius annotanda. Si *Hevenbusen* scri-
plissent aut pronunciaffsent veteres, (ut s̄pē in Cod. cibis n. & u. permuntantur) *insignia* fuissent
loquacia, quod Galli vocant *armes parlantes*, ut solebant antiquitus. Hene enim, (vel Henne)
gallina est Germanis. *Anserem assatum in Feste S. Martini*, per omnes fere domos, mensis infer-
runt Germani; ut *Judæi* agnum paschalem non diligentius comedisse videantur. Invitat anni
tempus: tunc enim anseres pingues habentur. Hunc morem jam Anno Domini 1171 viguisse
intelligas, quod tunc *Otbelricus de Sualenberg* argenteum anserem Corbejensibus in Festa S. Mar-
tini pro fraternitate obtulit. Ad annum 1215 narratur fuisse apud Corbejenses *Manuale* (seu
Diarium) *S. Anscharii*, quo sancti labores, in septentrione a viro exantlati, juxta annos & dies
consignati fuerant. Ipsius manu annotata acta apparet; sed originale, an apographum, huc
pervenerit, definiri non potest. Id postea *Tymo Abbas Romanus* missile dicitur. Utinam in Va-
ticaniis Chartophylaciis superesset! Qvod *Sanctus Franciscus* (quem vocant) ordinis Minorum fundator,
Affilio oriundus (ubi A.D. 1226 obiit) anno 1222 Capitulum cum fratribus in
Hildesheim habuerit, credendum non est, si sensus sit, ipsum præsentem fuisse: sed habere po-
tuit per quandam ordinis sui. Et fuit inter primos ejus fratres *Conradus de Hanovera*, qui S.
Elisabetæ intercessione ab Hildensiensibus locum struendi conventus impetravit, ut habeat *Chroni-
con Monasterii S. Michaelis*, quod nunc edimus. Extat tamen vita illius *Conradi*, qui Franciscanorum
Conventum apud Hildesienses inchoavit; sed in quo patria illi Italia, & quidem *Offida* (an quæ
Ausidena in Aprutio citeriore?) assignatur, referente in literis ad me datis R. P. *Dionysio Werlensti*
Capucino, scriptis celebri, nuper defuncto; cui etiam parum credibile videtur, jam tum Capitu-
lum Franciscanorum Hildesiæ habitum, cum *Conventus Halberstadiensis & Magdeburgensis* fue-
rint antiquiores. Idem addit, a *Bartholomeo de Pisis* in *Libro Conformatum*, circa annum 1385
scripto, (fructu 8 parte 21) hæc verba haberit: *In loco Hildesieni jacet Frater Conradus cognomine
Pater Sancte, propter uitam & miracula preclara.* Notat & nostrum *Chronicon* ad 1138, *Jorda-
num*, secundum Magistrum generalem Ordinis Prædicatorum, fuisse Saxonem ex *Comitibus de
Patberg*. Cæterum interiores literas a Corbejensibus aliquando non neglectas, velex eo æstimes,
quod ad annum 999 *Meyboldus* Magister Scholæ, ob variam doctrinam mire laudatur; quod
etiam ut ad annos 1156 & 1157 notatur, *Wicboldus* Abbas bis legatus in Græciam missus est a *Friderico I*
Augusto: & anno 1128 *Heremannus* quoque Abbas in Græca lingua valde doctus fuisse memora-
tur. Et 1332 *Richardus* lector, juniores *Mathefin* docere jussus est. Sed & *Medicinam* non me-
diocriter excolebant Corbejenses Monachi, ut *Paulinus*, ipse Medicus doctissimus, qui apud
Corbejenses, *Bernardo* Monasteriensi Episcopo Abbatiam tenente, aliquamdiu egit, aliquoties
observavit. Hic anno 1055 notatur, *Arnoldum* Abbatem colica s̄epiis afflictum, solis baccis junipe-
ri comeditis dolores vicisse. *Thiedagus* monachus non tantum *sacrarum literarum scientia & elo-
quio, sed & arte medica* claruit, & *Ottoni III carus* fuit; cumque *Boleslaus senior Dux Bohemiae*
paralyticus ejus opera utiliter usus esset, Episcopatum Pragensem ei procuravit; ut diserte ha-
bet *Ditmarus contemporaneus lib 7*; unde repetit *Chronicon nostrum* ad annum 996. Notatur
ad 1159, quandam de *Ickenrod* solo lacte pro potu & cibo vitam perduxisse ad annos CXXXI.
Sed hæc in specimen sufficient. p. 314 pro placuit, leg. *Placavit.*

XXVI. Roswitæ Carmen de primordiis & fundatoribus Cœ-
nobii Gandeshemensis, ex MSto.

XXVII. Syn-

XXVII. Syntagmatis Gandesiani ab Henrico Bodone conscripti & hactenus imperfecte editi, supplementum ex MSto.

XXIX. Selecta ex ejusdem Chronico Clusino Excerpta, ex MSto.

XXIX. Diplomata Gandershemensia aut ex iis excerpta, ex MSto.

Inclytum Gandeshemensē Cœnobium, Canonissarum in primis illustrium sedes, cuius Abbatissa dudum Principis Imperii dignitate fulget, inter Visurgim & Albim soli Ludgeriano Helmetadiensi cœnobio antiquitate concedit: cum fundatum sit a *Ludolfo* Duce Saxonie post seculi noni medium; cuius filius *Otto* sive Ecclesiam sive *Monaſterium S. Michaelis* in monte, Luneburgensis imminentे, Istruere cœpit; *Henricus* ejus filius demum *Quedlinburgense* fundavit, ut cætera taceam, quæ sunt consecuta. Serenissima Princeps *HENRICA CHRISTINA*, quæ nunc præest, Serenissimi Brunsvicensium ac Luneburgicorum Ducis *ANTONII ULRICI*, virtute ac doctrina perennitatem meriti, dignata tanto parente filia, locum regit, & pietate non minus quam sapientia illustrat. Eadem antiquitatum patriarchum studio ducitur, nuperque voluit, ut Archivum inspiceret; præclarumque Roswitæ monumentum, novissime recuperatum & a se redemptum, gratiose mecum communicavit. Roswitæ plures memorantur, sed quas a nostra facile distinguas. Inter eas in primis claræ sunt: *Roswita* Abbatissa Gandeshemensis, & *Roswita alias Hilda* Angla, filia Regis Northumbrorum, quam quidam cum nostra imprudenter confundentes, (qua trecentis omnino annis anterior fuit,) Poëtriam Anglis vindicare conati sunt. Roswita Abbatissa loci, in ordine *quarta* fuit, statim post tres filias Fundatoris. Unde credibile est, magnæ fuisse nobilitatis, & ex eodem nomine non inanis suspicio est, huic Abbatissæ propinquam fuisse poëtriam, & ab illa suscepit in cœnوبium, ut sub ipsius oculis educaretur & eruditetur. Sane & Abbatissam fuisse eruditam, & in Logica & Rhetorica excelluisse; imo *librum Logisticum* aliaque scripta composuit, ex *Chronico* nescio quo *S. Michaelis apud Hildesiam*, quod nunc non comparet, refert *Henricus Meibomius* senior, & hæc verba Chronicæ affert: *Walbertus septimus Episcopus Hildesheimensis post Christianam Gandersheimensem Abbatissam defunctam, Roswitham ibidem in regimen intromisit; qua ceteris excellentior in Logica & Rhetorica extitit, ut ejus libri & scriptura testantur. Composuit nempe Logicam valde insignem.* At propinqua ejus, nostra scilicet Roswita, animum ad amoeniores literas convertit, & (ut ait *Trithemius*) sexum ingenio superavit; ut de ea merito Georgius Fabricius caneret:

Tu quoque, vixisses meliori Roswita seculo,
Aonidas posses inter habere locum.

Opuscula ejus recenset *Trithemius*; edidit *Conradus Celtes* Francus anno 1501. Nam hypothæta lapsus est, (ut alia ibidem non pauca) quod in præfatione Tomi I habetur 1505. Nos vero annus verus fugere non potuit, cum ipsa Celta editio in manibus esset. Porro cætera quidem Roswitæ scripta, a Celta edita, fere omnia ad res sacras & Historiam Ecclesiasticam pertinent; sed gesta *Othonis I Augusti*, seu, ut codices habent, *Panegyris Oddonis*, ad Gerbergam Abbatissam Gandershemensem, ex fratre Ottonis *Henrico* natam, scripta; ab eximio Saxoniarum antiquitatum ruspatore, eodemque poëta egregio, *Henrico Meibomio seniore*, cum Witikindi Corbejensis Historia prælo reddita, notisque egregiis illustrata est; eademque nepos cognominis, iisdem laudibus Historia poëticosque insignis, Tomo II collectionis suæ inseruit, & nonnulla avitis notis adjectit. Sed quod nunc damus carmen non vidit. Roswitam nomine vero *Helenam de Rossau* dictam, scripsit vir quidam doctus in elogiis iconibusque eorum, qui Marchiam Brandenburgensem ornarunt, imaginemque ejus & insignia gentilitiæ exhibuit, recentiores quosdam secutus, nullo antiquitatis monumento suffragante; & Roswita non familiæ sed personæ nomen erat. *Rossingiam* alii malunt, simili errore; quæ familia in Brunsvicensibus terris floret. Sed talia comminiscuntur sunt, non narrantis. Roswitam longe illustriorem genere fuisse, ex dictis suspicor.

Carmen ejus de cœnobii sui fundatione & primordiis vidit *Henricus Bodo*. Ita enim in præfatione Syntagmatis sui Gandesiani, Cogitabo, (inquit) --- de Ecclesiæ Gandesianæ fundatione

datione non nihil commendare literis ---- *Id autem ut possem, opusculum illud illustrissimæ fœmina Hroswitæ, in quo Ecclesia memorat & fundationem heroico carmine, fateor, me plurimum judit.*

Hoc autem post sexcentos annos, nescio quo fidere nobis favente, pulvris ex sinu levatum. --- Et mox: *Ex ipsa Poëtis, (Poëtidem dixit pro poëtria) honorum memoria digna &c.* Bodoni ergo videtur deberi conservatio hujus opusculi, sed quod rursus pene perierat; et si quædam ex eo citari animadverterim in notis ad Chronicon Gandersheimense nondum editum M. Michaelis Raupii Superintendentis Gandersheimensis. Quædam etiam inde sumta Schatenum vidisse oportet; hunc enim de Ludolfo fundatore versum Roswitæ citat:

Principibus sit par, sed nec ducibus fuit impar.

Ex Roswita cæteri habent Bilungum Principem Francorum, ficerum Ducis Ludolfi, aliaque quæ in hoc carmine non inutiliter legentur. Exemplum ejus, quod repertum est, parum antiquum, vitiis etiam, sensum non raro obscurantibus, non carebat. Itaque emendationes partim ex conjectura, partim ex Bodone & antiquo carmine, Dialecto Saxonica conscripto, passim subjecimus. Ubi Typographi nostri lapsus quidam corrigendus, quia sensum omnem notationis nostræ pervertit. Nempe p. 321 (r) pro pedem leg. Aedem, cum in textu haberetur: eidem. Nempe in exemplo reperto ita legebatur de Luidulfo & ejus conjuge:

Romam pergebant, sanctique patris visitabant

Eidem muneribus dignis precibusque benignis,

Ipsius auxilio depositentes sua vota

Iuxta velle Dei sese persolvere posse.

Hisdem temporibus possedit Papa Benignus

Sergius Ecclesiæ primatum namque regendæ &c.

Sensus est: *Aedem sancti Patris, scilicet Petri, cuius auxilio (id est, intercessione apud Deum) se votorum damnados sperabant, eos visitasse.* Aedes ergo, de qua hic sermo, est Basilica Vaticana. Etiam p. 323 (g) legi malim:

Hac igitur causa fuerat jam cœpta secunda

Cœnobii sub honore Dei constructio nostri.

ubi secunda idem quod prospera. Et pag. 325 lin. 12 pro natum leg. natam. p. 327 lin. 13 pro reprobō leg. reprobe. p. 328 lin. 12 pro chyographis leg. chirographis. p. 330 (c) in nota pro quinto mense leg. septimo mense. Notatu dignum est, omnem Elisionem in carmine Roswitæ vitatam esse; quod me quoque puerum facere memini, una die trecentis versibus heroicis effusis.

Henricus Bodo, Clusini Monasterii Ordinis S. Benedicti monachus fuit, quod *Adelheidis III Abbatissæ Gandeshemensis* ope in vicinia fundatum est anno Domini 1124. Tempora reformationis Evangelica Autor attigit, in quam acerbe invehitur, & *Conradus* Abbatis sui impulsus res Gandeshemensis & Clusinas memoriae tradere voluit circa annum 1531. Sed Clusinas, id est suas potissimum sibi proposuit, aitque, Gandeshemensium Abbatissarum Catalogum a se tantum præmissum, ut Clusina melius intelligerentur. Eodem consilio & Episcoporum Hildesicensium Catalogum præmisit, quem omittere noluimus. Utrumque ejus Syntagma tam Gandeshemensiæ quam Clusinum extat integrum in uno volumine Bibliothecæ Augustæ. Sed posterioris nihil, prioris non nisi pars ad *Cl. Meibonium* pervenit, qui Collectioni suæ inferuit, nempe usque ad *Bertam II* Abbatissam, quæ ad seculi decimi tertii medium pertigit. Reliqua ergo inde a privilegio Honori III usque ad *Mariam*, Henrici Junioris Ducis Brunsvicensis filiam Abbatissam electam, Autori contemporaneam, ex Manuscripto supplivimus. Oportet Meibomiana ex alio Codice ejusdem Autoris venisse, ubi se *Honorii* privilegium, tanquam Innocentiano (in editione Meibomiana Tom. II pag. 509 extanti) simile, omittere velle ait Bodo; quod tamen nostro codici inferuit, his verbis præmissis: *Novis item infestationibus irritata (Mathildis Gandeshemensis Abbatissa) curiam repedavit Romanam, & alterum privilegium libertatis, altercationis causa pessundata, ab Honorio Papa tertio impetravit.* Clusinum Chronicon integrum dare, cum esset prolixius, opera pretium visum non est. Continet enim plurimas minutias de Monasterii bonis. At multa in eo habet autor non spernenda, *de Reformatione Bursfeldensi, & de bello Hildesemensi*, quod vulgo *Stifische Feude* appellatur, aliisque sui, vicinique temporis rebus, quæ excerpsumus. Jura etiam quædam ac veteres ritus explicat.

Postremo placet absolvere seriem Abbatissarum Gandeshemensium & Abbatum Clusinorum, etiam post Bodonem.

Abba-

HISTOR. BRUNSVIC. INSERVIENTIUM.

33

Abbatissarum series:

Abbatissa Gertrudis, Comitis de Regenstein filia, eligitur 1504: a quibusdam electa est
Catharina ab Honstein, cum qua ipsi lites. Obiit illa 1531.

Maria, filia Henrici, Junioris dicti, Ducis Brunsvicensis, vivente adhuc praecedente in
coadjutricem electa. Obiit 1539.

Clara, praecedentis soror, cui ob juventutem dati provisores ex Canonicis. Resigna-
vit anno 1547.

Magdalena de Columna ex Bohemorum Comitibus exorta, in Abbatissam consensu capi-
tuli eligitur. Mortua 1577 d. 28 Febr.

Margareta II soror Magdalena. Dissidia ipsi fuerunt propter Abbatiam cum Elisabe-
tha, Henrici Julii filia.

Anna Erica, Comitissa de Waldeck, eligitur 1589, moritur 1611.

Dorothea Augusta, Ducis Brunsvicensis Henrici Julii filia, vivente praecedente in coadju-
tricem sub certis conditionibus electa. Post administrationem 14 annorum obit 1626.

Catbarina Elizabeth, Comitissa de Oldenburg & Delmenhorst, mortua 1649 d. 11
Septembr.

Maria Sabina, Comitissa de Solms, obiit 1665.

Dorothea Hedwig Ducissa Holsat. linea Nordburgensis. Relinquit anno 1678 abbatiam,
amplectens religionem Romanam, nubensque Comiti de Ranzau.

Christina Sophia, filia Serenissimi Rudolphi Augusti Ducis Brunsvicensis. Resignat
anno 1681 & nubit patrui sui, Antonii Ulrici, Ducis incliti filio, Serenissimo Principi hæredita-
rio *Augusto Wilhelmo*, Duci Brunsvicensi.

Christina Ducissa Mecklenburg. linea Sverinensis, obit 1693.

Serenissima Princeps ac Domina *HENRICA CHRISTINA*, Antonii Ulrici Serenissi-
mi Brunsvicensium ac Luneburgensium Ducis filia, quæ hodie feliciter præest.

Clusinorum Abbatum hanc seriem, sed imperfectam invenio:

Anno 1124 consecratur Monasterii Ecclesia.

Anno D. 1154 obiit *Henricus* primus Abbas, cum præfuisse annis 30.

Succesit *Winnemarus*, qui obiit 1166.

Henricus obiit 1184 [hunc apud Bodonem sequitur Lampertus.]

Bartoldus obiit 1204 [successor Lamperti apud Bodonem]

Richardus obiit 1220.

Conradus obiit 1244.

Bartoldus II obiit 1274.

Conradus II eligitur, obiit 1291.

Henricus III obiit 1301.

Ludolfus obiit 1307.

Bartoldus III obiit 1321.

Henricus IV laudabiliter præfuit, obiit 1330.

Johannes Schelberg obiit 1350.

Henricus V.

Johannes II cognomento Ribbrecht.

Rembertus patria Geismariensis A.D. 1421.

Detlevus malitiose electus.

Henricus VI.

Johannes Dederot Mundensis, professus Northeimensis, postea Abbas Clusanus, reforma-
tionem monasticam cœpit in Clusa. Postea Bursfeldam avocatus, obiit ibi 1436

Johannes Borneman Einbeccensis 1439 electus

Godefridus electus 1446.

Wedego Abbas.

Conradus V Prior, electus Abbas, obiit 1541, successit *Johannes Mucken* Alfeldensis. An-
no 1570 loco *Johannis Beeck* Abbatis, *Hermannus Hamelmannus* Abbas a Duce *Julio* constituitur;
mox tamen *Johannis Beeck* restitutus est, & resignavit ante obitum 1572.

Henricus 29 Abbas, vixit Hildesia in Monasterio S Michaelis.

Sequentes Evangelici.

Henricus Pummel Uslariensis, Abbas 1586, obiit 1595.

H 2

Georgius



INTRODUCT. IN COLLECTION. SCRIPTOR.

Georgius Schinemann ex Secretario Abbas, obiit 1617.

Johannes Reitenrotb Præpositus obiit 1637.

Conradus Stierbecker 1649.

M. Julius Sattler Abbas Clusinus & Superintendens Generalis Gandershemensis, obiit 1659.

Postremo adjecta sunt *Diplomata* complura, quibus res Gandershemenses illustrantur; ex quibus nonnulla sunt contracta brevitatis causa, verbis superfluis omissis. Dissimulare autem candor vetat in nonnullis antiquissimis haud parum occurrere difficultatis. *Ludolfus* fundator ait (pag. 371) *tam Imperiali autoritate quam Apostolicæ Sedis literis & Episcopali benedictione munire [traditionem] curavi.* At *Ludovicus Germanicus* (*Ludovici Pii Augusti filius*) cuius unius potestati suberat locus, Imperatoris appellatione nunquam usus est. Nescio tamen, an non excusari hic possit *Imperialis autoritatis* mentio ex eo, quod aliquando in genuinis ejus seculi Diplomatibus Regum Germaniae *Anni Imperii* pro annis regni scribuntur. Ex *Sergii Papæ* literis, in *Ludolfinas* insertis, appareat, *Ludovicum Regem* reliquias petiisse pro *Corbeje nova* Monasterio, de quo (opinor) accipendum est, quod de cœnobio, ab ejus avo & genitore fundato, dicitur. Sed eas *Ludolfus Regis*, ut appareat, permisso, in rem suam vertit, novoque, quod ipse parabat, Monasterio inferre decrevit. Quæ vero cum *Roswite* narratione non satis per omnia conspirant. Aliæ *Ludolfi* literæ reperiuntur, quas habet *Bodo* (Tom. II. Ed. Meibom. p. 481) sed quibus multo minus fido, quia ait: *literis Domini nostri Ludovici Romanorum Regis invictissimi ad Sergium Papam acceptis, cum predicta conjuge mea anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quinquagesimo tertio Indictione prima Romam ivi.* Sed Romanorum Regis mentio hic plane absurda est, inusitata illis temporibus, nullo modo conveniens *Ludovico Germanico*; & anno Domini 833 ind. I jam dudum obierat *Papa Sergius II* extinctus A. D. 847. Et circa præceptum *Ludovici Regis* (*Junioris*) de libertate loci, quod dedimus pag. 372, tam in contentis quam in anno hæreo. Vult enim Rex (præter stylum suæ curiæ) ut Sanctimoniales loci *Imperiale* teneant immunitatem, & Annum incarnationis Domini literis ascribit, quod tunc nondum in usu erat; quæ novissima objectio etiam contrâ aliud ejusdem præceptum, eadem pagina exhibitum, fieri potest. Nisi excusari posse putemus mentionem hanc anni Incarnationis, quia constat, paucis post annis sub *Carolo Crasso*, (hujus *Ludovici* fratre) & *Arnulfo* eam ubique recipi cœpisse. Cæterum comparando diplomata, quæ damus, cum editione Leuckfeldiana, non pauca quidem apud nos (ni fallor) habentur emendatius (ex. gr. in *Agapeti Papæ* literis illic habetur: *scriptum per manus Stephani servi Sanctæ Romanae Ecclesie*, apud nos p. 373 *Stephani* scrinarii *Sanctæ &c.*) Nonnulla tamen & in nostra editione emendanda sunt, partim typographi, partim Apographi vitio; ut p. 371 non procul initio pro partis, pascuis, &c. leg. *pratis, pascuis &c.* & p. 372 lin. 16 post *vite* ponatur *religio*. lin. 20 pro dignæ leg. *dignam*. lin. 26 pro judicariis leg. *judicariam*. p. 373 lin. penult. pro *Latheria* leg. *Lutheria*. p. 374 lin. 15 pro *hæredum*, & leg. *heredum* ejus. p. 375 in *Diplom.* Ottonis Anni 973 in fine pro *actum* *Driburg* videtur legendum: *actum Tribure.* Et in sequenti *Diplomate* ad finem pro: *Imperii autem IIII leg. Imperii autem VII. lin. 7* a fine: *villam unam Zlovo lege villam Wanzeleva.* p. 376 in *Diplomate* Ottonis circa medium ejus pro: & inter duos leg. & *insuper duos*. eadem pag. lin. 3 a fine pro: *Morlevingerod* videtur legendum *Motlevingerod.* p. 377 in *Dipl.* dato anno XIII tertii Ottonis, pro: anno DCCCCXCIII. leg. DCCCCXCVI. Ead pag. in *Dipl.* Henrici videtur legendum *Baldolvesheim, & Sonderenboven, & Darneburg in pago Hartega in Comitatu Ipponis.* p. 378 in *Diplomate* ejusdem anni millesimi XXI pro: hos quinque pagos &c. ponatur: *bos quippe pagos Gandesemigawi, Grenigawi, Frietbenigawi, Flemthigawi, Auganagawi, Winzigawi, Erigawi, & insuper, quid in his duobus pagis Sulbergawi & Erimergawi [vel Ommergawi] vîsus est babere.* Eadem pag. in *charta Luitgardis* in *Ed. Leuckfeldiana* sic legitur: *XIIII mansos in Brynessen, & in Haboldesbusen, & in Hilaebrechtesbusen, & duos in Siboldesbusen, atque item duos in Elleletbusen.* Eadem pag. in *Innocentii Papæ* privilegio, post: noscitur esse constructum, inferatur: *in quo divino estis obsequio mancipate.* In codem privilegio pag. 379 lin. 3 pro constitutæ leg. *constructæ*. lin. 4 pro *Denooste* leg. *Dengde*. lin. 5 pro: *Perichoria* leg. *parochia*, & lin. 6. pro *Erica*, *Denstede* leg. *Erica*, *Denstede*. lin. 7 post: *pertinentiis suis*, inferatur: *villicationem in Gbeveldesbusen cum parochia, Ecclesiis & omnibus pertinentiis suis*, lin. 13 pro: & de sumtibus leg. *vel de nutrimentis.* p. 380 lin. 2 pro *coram* leg. *eorum.*

XXX. Narratio

XXX. Narratio de fundatione & restauratione Monasterii S. Michaelis in Luneburg, ex Manuscripto.

Hujus Monasterii bona nunc in usum illustris Luneburgensium Gymnasii pietate Principum sunt conversa. Brevem, quam hic damus, narrationem, a nescio quo olim conscriptam, ex antiquis schedis suppeditavit Dn Pfeffingerus V. Cl. Gymnasii Inspector, qui notulas etiam quasdam aspersit ex Diplomatibus, quorum ipsi non vulgaris, non minus quam reliquæ Historiæ, notitia est. Speramusque, ejus cura tum circumscriptæ regionis antiquitates, tum & familias nobiles illustratum iri. Abbatum Catalogus, ab eodem suppeditatus, Tomo III adjicitur. Dolendum est, Monasterii Chronicum aut consignationem aliquam temporum nullam extare. Fuit alioqui celeberrimum; & Smaragdum S. Michaelis Abbatem, scriptis celebrem, *vie Regiae*, a Dacherio Spicil. Tom. sedet aliorumque operum autorem, Miræus (in *notis ad Honorium Augustodunensem de Scriptoribus Ecclesiasticis*) aliquae viri docti huius loco ascripsere, ubi Abbas Smaragdus seculo X vixerit. Sed Dacherius in præfatione (loco dicto) & Mabillonius Tomo 2 Analectorum, ubi *Chronicon S. Michaelis Virdunensis* edit, ostendunt, Smaragdum illum, Scriptorem non paucorum operum, tempore Caroli M. & Ludovici Pii Monasterium S. Michaelis Virdunense rexisse; cum etiam Codex *Regina Christinae*, unde viam Regiam Dacherius produxit, ante Regum Saxoniorum tempora exaratus sit. Cæterum hæc præsens Narratio videtur conscripta paulo post annum 1418, absoluta Ecclesiæ restauratione, ut series rei gestæ ad posteros transmitteretur. Indicatur in ea, Monasterium ab Hermanno Saxonie Duce, tempore Ottonis M. fundatum fuisse, idque paulo ante Annum Domini 955; quia dicitur, amplius, quam centum post annis, nempe Anno Domini 1055 consecratum, in *Chronicis* legi. Inde vetustate collapsum, auxilio Johannis Ducis Luneburgici Anno Domini 1277 restauratum & dedicatum, regnante Ottone ejus filio, & cum uxore Mechtilde, nata Ducis Bavariae, pium optis plurimum adjuvante. Sed cum urbs a Duce Magno Torquato Domino suo descivisset, & obsidionem timeret; castrum cum Monasterio, quod in eminente loco sita essent, a civibus eversum est anno Domini 1371. Abbas cum Monachis & rebus mobilibus in urbem transiit, coepitque est ibi constructio Monasterii novi, faventibus Wenceslao & Alberto Ducibus Saxonie ex Alscania Stirpe, ad quos civitas defecerat. Monachi tamen etiam verorum Principum, filiorum Magni Torquati, Friderici & Bernardi adhuc juvenum, (nam Domicelli hic vocantur) consensum impetrarunt: sed tota Ecclesiæ structura demum anno Domini 1418 ad perfectionem deducta est. Notandum tamen, circa tempus fundationis ipsumque fundatorem, ab hac Narratione dissentire Autorem schedæ de Fundatione quarrundam Saxonie Ecclesiarum, quæ inserta est Tomo nostro I, num. XX, ubi p. 261 legitur: *Anno Domini 906 Monasterium in monte Luneborch fundatum est ab Ottone Duce Saxonum, bortante eum ad hoc Wickberto Episcopo Verdense*. Otto Dux intelligitur, filius Ludolfi Ducis, pater Henrici Aucupis Regis. Consentit Chronicum Riddageshusanum, quod nunc edimus, ubi etiam Monasterium A.D. 906 fundatum habetur. Quædam hac de re jam attigimus in præfatione prioris Tomi ad n. XX. Hic addere sufficerit, posse conciliari utramque sententiam, si altera emendetur; & Ecclesiam quidem fundatam ab Ottone Duce, sed in monasterium, (ut sæpe fiebat,) conversam ab Hermanno. Postremo adjicere placuit *privilegium indulgentiarum*, Monasterio Anno Domini 1281 concessum, quod *Narrationi* annexum reperisemus.

XXXI. Ottonis Kulzing, Præpositi in Hilgenthal Ordinis Præmonstratensis, narratio de fundatione Monasterii sui & translatione in urbem Luneburg.

Hoc monasterium per militem Lippoldum de Doren fundatum est in Kerckgeldersen anno 1314; triennio post translatum in Zibelingborstell, dictum Hilgental, id est sancta vallis. Ibi cum monachi per annos 65 habitassent, translati sunt in urbem Luneburgensem annitente in primis Alberto Duce Saxonie, qui Luneburgum tunc tenebat; ipso Ottone Kulzing Præposito, auctore hujus scripti, (patria Ulleßensi) Monasterium gubernante. Res acta est anno Domini 1383 die 26 mensis Augusti. Et notandum est, diploma Ducum, translationis gratia datum, ita habere: *Nos Wenzeslaus & Albertus, Dei Gratia Angarie & Westfalia, Saxonie & Luneborg Duces, Palatini Saxonie, & in Brenen Comites, Sacri Imperii Principes Electores; Et Bernardus, eadem Gratia Dux in Brunswick & Luneborg, ad perpetuam rei memoriam &c. ---- Datum Luneborg, Anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo secundo, vicesima quarta die mensis Julii presentibus &c.* Ubi patet, et si Aurea Bulla Caroli IV multo ante condita esset, tamen Wenzeslaum & hujus ex patre Ottone nepotem Albertum, sese ambos simul Principes Electores appellare: & li-

cet *Albertus* solus, natus *Eilabera* filia Wilhelmi Duci Luneburgici, suæ lineaæ ultimi, *Ottoni* Ascanio nupta, hæreditarium jus in Luneburgicam regionem sibi tribueret; *Wenzeslaus* tamen, patruum ejus, in prætensi juris communionem, gratia Imperatoris Caroli IV fuisse receptum: & licet hoc in *Friderici*, *Bernardi* & *Henrici* Ducum Brunsvicensium, Magno Torquato natorum, detrimentum & injuriam cederet; Bernardum tamen, qui huic diplomati subscrispsit, tunc dissimulare coactum. Hoc diploma cum aliis nonnullis, ad Monasterii res pertinentibus, adjecere placuit. Suppedavit omnia Dn. *Job Henricus Butnerus*, Cantor ad S. Johannis in urbe Luneburgica, vir doctus & diligens, qui in familiis patriciæ nobilitatis, quæ in urbe floruerunt, describendis, libro edito egregiam operam navavit. Obiter noto, illo tempore, (ut ex hac narratione patet) centum *florenos* æquivaluisse octuaginta *Marcis*, nempe Luneburgensum denariorum. Pag. 388 in notis lin. ultima pro Du Lange, leg. Du Cange.

XXXII. Chronicon Cœnobii S. Michaelis in Hildesheim Ordinis S. Benedicti, ex Manuscripto.

Ostinuimus hoc Chronicon beneficio Illustris Viri, qui nunc inclito Monasterio præst, ab antiquioribus conscriptum ex monumentis loci, & a posteriore aliquo ad nostra usque tempora continuatum. Fundator ejus fuit Magister Ottonis III Augusti *Bernwardus* Episcopus Hildesiensis, cuius vitam Tomo I Scriptorum, Brunsvicensia illustrantium, inferuimus; quæ etiam hujus Monasterii originibus declarandis inserviet. Errata autor, & antiqua ad posteriorum morem concipit, dum primum Abbatem *Goderammum* Doctorem in sacra pagina seu Theologiae, & quartum *Segebertum* Doctorem Decretorum facit; cum nec dum universitates studiorum, a quibus honores Doctoratus darentur, in orbe extarent. Tertius Abbas *Benno*, factus demum Misenensis Episcopus, etiam sanctitatis fama inclaruit, & a Leone X demum canonizationis honorem accepit.

Hac occasione memorare opera pretium videtur, *S. Benonis libellum de Dictamine seu de conscribendis Epistolis*, hactenus ineditum imo plane incognitum, & ejusdem expositiones breves super Evangelia Dominicalia, extare in codice membranaceo Augustæ Bibliothecæ Guelfebytanæ Serenissimi Ducis Brunsvicensis in forma quam octavam vocant, n° 56.20 MSS. Prior ita incipit: *Ego, Benno Misenensis, humilissimus servus crucis Christi, S. Ferrariensem* (sic lego) *ciui, vi, Palatii Imperatoris equissimo judici, salutem & petitionis affectum. Magnis & crebris tua dilectionis precibus fatigatus, honeste petitioni denegare non audeo, quod me jam dudum opusculum promissum recolo. Eatenus namque tua rogatione modeor, eternaque [f. & tenera] dilectione cognor, ut omnibus fere destitutus amicis, si super hoc tibi satisfacere tueque petitioni prodeesse negligam, videar.* Feci itaque non invitus, ut cum tua cum omnium utilitate, rationes dictandi, di prosaice, ex multorum gestis [f. congestis] in unum corpus colligerem, quibus disciplinam rurbanus, & documenta proiectus breviter commodeque traderem; ut hoc duntaxat contenti opusculo ad aliorum nemora & diverticula non recurrente cetero. Siquos vero litor edax, mordax, rotundit, lacerat, de se, inse nibil fructus propcientes, quem ferre valeant; & ob hoc Aginulfi vel Abbatis Samaritani [forte corrupta vox] tenuitatem & indisciplinata doctrina novitatem huic introductioni preferre vel parificare sat agunt: videant, quod non ratione duce sed facibus inuidia accensi, indecenter protervisunt. Sic enim Alberici Monachi, Viri eloquentissimi, librum vituperant, qui et si plene per singula dictaminis documenta non scriberet, in Epistolis tamen scribendis, & dilectis privilegiis, non injuria creditur ceteros excellere. Ceterum ne in prologis scribendis & nibil profuturis tempus videamus amittere finem prefationi imponamus; hoc tamen prius expostulantes, quod, si qui ad hoc opus accidentes quicquam teneris auribus acceperint, quod discretum eliminari oportuerit, non statim obstrepan, sed quid & propter quid, diligenter considerent. Et hec hactenus. Quædam hic emendavimus, quod corruptius a librario minus intelligent scripta appareret. Habant Cæsares illorum temporum judices Imperialis palatii in Italia passim, juris & consuetudinum peritos, etiam ante restitutum Legum Romanarum corpus, quorum saepe in Diplomatibus fit mentio; & talis fuit iste *S. Ferrariensis* civis, cui Benno Episcopus libellum inscripsit. Discimus etiam hinc, *Aginulfum* quendam, & *Albericum* Monachum, quem autor secutus videtur, præ ceteris laudatum; de Arte Epistolographica scripsisse.

Placet etiam speciminis causa ex brevibus Evangeliorum Dominicalium expositionibus, exhibere primam, quæ est *Evangelii prima dominica Adventus*. Ea autem ita habet: *Appropinquantus Jesus Hierosolymis*, id est ad visionem supernæ pacis, id est, ad passionem & resurrectionem & ascensionem, *cum venisset Betphage*, id est ad domum buccæ, id est, comestionis. In

„nis. In Bethfage enim Presbyteri solebant exercere comeditionem. Id est, cum venisset ad ecclesiam, in qua micas de mensa carentes comedimus, id est, adventum bonorum; qui est „juxta montem Oliveti, id est, qui perseverantes in bono opere, parati sunt transcendere mon- „tem olivarum, id est, cum maximo labore ascendere ad alta olivarum, sive ad sublimitatem „æternae beatitudinis. *Misit duos discipulos, id est, Petrum & Paulum, quorum Petrus fuit primus* „Apostolorum, Paulus autem novissimus. *In castellum, quod erat contra eos: in Iudeam, quæ* „prædicationi illorum rebellabat; *ut asinam, id est, Iudeam, sub jugo legis alligataam, & pullum,* „id est, gentilem populum, ullius habentem retinacula nescientem, id est, sub ipsa lege non perma- „nentem, prædicatione sua a laqueo dissolventes infidelitatis, ad fidem adducerent. Quod se

„eis aliquis, id est, inimicus, habens potestatem, aliquid diceret: dicerent, quia Dominus bis opus

„babet, id est, habet manifestare miracula sua in eis. Sequitur: *Dicite filie Syon, id est, filiae* „speculationis, id est, novæ legis, quæ a speculatoribus, id est, a Prophetis prædicata. Generatim „dicti filius quasi filia. *Rex tuus, id est, Christus tuus, id est, sub lege venit, id est, descendit in* „terram ad opus tuum, ut impleantur ea, quæ dicta sunt de te; non superbe cum equis & curri- „bus, sed humiliter, super asinam, sedens. *Illi autem euntes, tam gentiles quam Judæos ad fi-* „dem adduxerunt, *& vestimenta sua, id est, suam doctrinam imponentes, fecerunt eum sedere, id* „est, purificatum templum Domino. *Alii straverunt vestimenta sua in via, id est, sancti Mar-* „tyres, in via existentes, id est, peregrinatione seculi, tradiderunt proculcationi corpora sua,

„quæ sunt vestimenta animæ. *Alii cedentes ramos de arboribus confessores intelliguntur, qui ad* „demonstrandam viam, floribus ramos, id est, exempla sua florentis vitæ nobis defecuerunt.

„*Precedentes turbæ & sequentes, sunt Patres tam veteris Testamenti quam novi, qui incarnatione* „nem Christi venturam prædixerunt. Ex hoc specimine intelligi potest, allegoricum interpre- „tandi genus auctori placuisse, nec ingenium abfuisse. Sed quædam corrupta virtus librarii, bene

intelligi non potuere.

In eodem Codice extat *Henrici Francigenæ Gemma*, id est, libellus de conscribendis Episto- lis, inscriptus *Petro, divino munere Severiane domus Canonico Sacerdoti*. Nomine *Francigenæ* illis temporibus apud Germanos designabatur homo in Gallia natus: nam *Francorum* appellationem nondum ipsi dimiserant, & Cæsares aliquamdiu sese adhuc *Francorum* Reges scriebant, ut alibi notavimus. Paginæ autem, quæ hujus libelli initium præcedit, quidam majusculis literis hæc verba, nescio quo consilio, inscripsit: BENNO, BENNOPOLITANUS QVONDAM PA- TER, REVERENDO IN CHRISTO DOMINO ANNONI COLONIENSI ARCHIEPI- SCOPO, SEGEBERTO QVOQVE ABBATI BENNOPOLITANO FORIS CIVITATE SALUTEM. An fortasse quandam epistolam Bennonis ad hos ambos subjecere voluit, sed postea intermisit? Suspicio nasci poterat, ipsum hæc ascripsisse *Bennonem* librō, ad hos amicos transmittendo; sed reperio, eadem manu scribi: EGO BENNO MISNENSIS, initio libri de dictamine, & quæ sequuntur passim, ita esse corrupta, ut ab ipso Bennone, vel scripta vel saltem missa, credi non possint. Porro *Bennopolitanum Patrem*, id est, Hildesiensem Abbatem (nempe statim ante *Segebertum* ad quem scribit) se Benno vocat, ad nomen suum alludens: quia antiquum castrum apud Hildeshemensem urbem fuit, dictum *Benneburg* (cujus locum nunc quoque monstrant) ab antiquiore quodam Bennone, ut appareat, structum. De quo loco fabulosa hæc verba in eodem codice, et si delecta, adhuc tamen legibilia, reperio statim post *Evangeliorum* *Dominicalium Expositionem* finitam: ANNO DOMINI CCCCLXXVII. FUNDATUR BENNOPOLIS, NUNC HILDENESHEIM NUNCUPATA, TEMPORE TIBERII CÆSARIS. *Tiberius* intelligendus est *secundus*, quem anno Domini 578 Septembri mensē a *Ju- stino* altero paulo ante obitum in consortium Imperii ascitum constat. *Bebrensis* V. Cl. de hoc loco a me consultus, respondit, verus castrum fuisse prope urbem versus occidentem trans *Indri- stan*, situm in triangulo, quod faciunt *vetus Cartusia* ante portam Dammonis, & *vicus Sancti Mauriti*; ibique nomen agro mansisse, diruto a civibus castro, cum civitas id emisset anno 1249, superstitibus adhuc Tabulis emtionis.

Cæterum in hoc Chronico passim inspurguntur, quæ etiam Historiam harum regionum, & Hildesiensem in primis illustrant ac supplent, & familiis quoque nobilibus, ad viros quosdam suæ gentis insignes melius noscendos, præderunt. In *Johanne Loeff* Abbate XXXII, postulato anno Domini 1486, citatur *Chronica Abbatum*. Puto, esse libellum, quem *Henricus Meibomius junior* V. Cl. Tomo II collectionis avitæ ac suæ edidit, & qui in hoc *Johanne* desinit. Differt a nostro, itaque utrumque extare non inutile visum est. Citat adhuc aliud *Chronicon S. Michaelis apud Hil- desiam* senior Meibomius in præfatione Panegyrici Roswitæ, sed locus, in edito a nepote, non

INTRODUCT. IN COLLECTION. SCRIPTOR.

extat ; ut appareat, hoc non tam rerum cœnobii, quam in cœnobia repertum fuisse ; sed id nusquam comparet. Dabimus adhuc aliud S. Michaelis Chronicon, ex Episcoporum & Abbatum rebus mixtum, infra numero XLVIII, ubi videatur. Pag. 400 in Abate XIII pro Hanovere nisi legendum Hanoverensi. Hanoveram enim, aut potius Honoveram, veteres & diplomati a habent, ab hohen Over, alta ripa.

XXXIII. Johannis Legatii Chronicon S. Godehardi in Hildesheim ordinis S. Benedicti, ex MSto.

Chronicon istud, haec tenus ineditum, ad me pervenit beneficio V. Cl. *Conradi Bartholdi Bebenensis*, insignis apud Hildesienses Medici, & historiæ nostratis peritissimi : nec invito illustri Prælato Monasterii editur. Autor *Johannes Legati* vel *Johannes Legatus* loci Monachus, scripsit opusculum, quod in *Bertramo* Abbe ab solvit, & successor eius *Henningo* dedicavit, cuius & i impulsu se scripsisse ait. *Bertoldus de Lansberg* tunc Episcopatum Hildeshemensem regebat. Ut adeo autor floruerit versus exitum seculi decimi quinti. Nam Bertoldus obiit anno Domini 1503. Quandam styli elegantiam, renascentibus paulatim bonis literis, scriptor non ad modum feliciter affectat. Monasterium hoc ordinis S. Benedicti condi cœptum ab Episcopo Bernardo anno Domini 1133 16 Kal. Jul. in honorem Sancti Godehardi Episcopi, cuius relatio inter sanctos anno præcedente, cura ejusdem Bernhardi, perfecta fuerat. Bernhardi ipsius vitam *Johannes Peteris civitatis Abbas*, eleganti sermone scripsisse hic dicitur : ea non extat. Veterem civitatem puto esse *Uzen* seu *Oldenstadt* ; nam & ibi erat Monasterium Benedictinorum. *Fridericus*, primus Monasterii S. Godehardi Abbas fuit anno Domini 1136, ex Corbejensi Monasterio ascitus. Hunc noster ait Monasterio dono dedisse libros, tam vetustos & utiles quam preciosos, non fragili papyro, non fluxa illa arte impressoria, que sero venit, sed validissimo pergameno compostos. Nempe tunc, cum haec scribebat noster, ars impressoria recens inventa erat, &, (ut apparet) a multis, præsertim Monachis (qui scribendo proderant cœnobii suis) non admodum laudabatur. Sed infirmum admodum nostri argumentum est, quo fluxam artem contendit. Durat utique, & durare facit libros, ipsa multiplicatione exemplarium. Nec ad artem ipsam pertinet, in pergameno an charta fiat impressio. Sane olim moris erat, aliquot exemplaria membra ne imprimi, taliaque complura editorum a *Roberto Stephano* librorum vidi. Inter libros a Friderico Abbe allatos autor memorat *Herici, Corbejensis Monaci, Homilias*. Sub XI Abbe notat, Cistercienses, Benedictinorum filios, cœnobium S. Godehardi, ut situ amoenum, sibi vindicare co[n]notatos, & Romæ impetrasse, in locum Universalis studii ; sed *Hildebrandum* Abbatem conductis militibus venientes repulisse : ex eo non rediisse. Ita res inter Monachos etiam ferro aliquando agebatur. Lecta est autori *Hildebrandi Epistola*, plena querelatum contra Cistercienses, ad *Abbas Ordines suis scripta*, in qua eos appellavit : *communes hostes*. Eilardus XIII Abbas, perpendens vires Monasterii sui, certum fratrum numerum, duorum videlicet & viginti statuit, quos ultra citrave porrigi solebat, Ottone Episcopo confirmante. Id sapiens consilium fuit, & intellecti ex viris peritis rerum inclytæ cuiusdam Societatis, non alia re eam magis laborare ac sibi officere, quam quod passim Collegia numero hominum supra vires onerantur. Unde necessariae curæ rerum secularium artesque ditescendi, quibus odia accersuntur ; sequiturque ab antiqua virtute & gloria degeneratio, dum magis multi quam insignes viri expertuntur. Sub XIV Abbe *Burcardo* attingit noster *scisma*, quo Hildesiensis Ecclesia laboravit, electis per scissionem *Henrico ex Ducibus Brunsvicensibus, & Erico ex Schauenburgensibus Comitibus*. In ipsis Monasteriis S. Michaelis & S. Godehardi, Abbates uni, Conventuales alteri parti favebant. Multa habet nostra parte secunda operis de *Reformatione Monasteriorum Bursfeldensi*, quæ opera Nicolai Cusani Cardinalis, Legati Apostolici, etiam in hoc Monasterio urgebatur. Hic dicta, si iis conjungantur, quæ narrat *Johannes Buscb*, Canonorum Regularium Reformato, in libro, quem etiam huic Tomo inserimus, status rei Monasticæ illorum temporum erit exploratio. Cœpta reformatio a Canonis Regularibus in *Windessem* dioecesis Ultrajectensis. Inde venit in *Witenborch* Hildesiensis dioecesis ; postea ad *Clusinos* prope Gandesheim Benedictinos ; ac deinde ad *Bursfeldam* promota est, quod nomen noster vertit *Campum rusticorum*. Unde cum in multa alia cœnobia Saxoniae, Thuringiae & Westphaliae, propagata esset, *Bursfeldensis reformationis* nomen accepit. Quantæ autem molis haec reformatio fuerit, & quanto studio plerique sint renisi, ex autoris nostri narratione intelligetur. De *Windesem* autem *Congregatione* pluribus dicimus, ubi *Johannis Buscb* librum de reformatio[n]e Monasteriorum recensebimus.

XXXIV. De

XXXIV. De origine Monasterii Montis S. Mariae Canonissarum Regularium S. Augustini prope Helmestede Narratio, ex MSto.

DEsumpta est ex codice Bibliothecæ Augustæ Welfebytanæ. *Wulframus Abbas Werdmensis & Helmestadensis* fundavit Ecclesiam S. Mariae in monte pro regulari vita Canonistarum S. Augustini Anno Domini 1176. Postea Anno Domini 1230 *Gerdagus Abbas* una cum *Friderico Præposito* certum numerum Monialium constituit. Loco miraculis inclarescente, *Wilhelmus Rex Romanorum* ad eum invisit. Cum Virgo Deipara rustico cuidam in *Cubbeling* in somnis apparuisset, & imaginem quandam suam a peregrinis mercatoribus allatum iri prædixisset; res eventu comprobata est. Imago reperta magnoque honore collocata. Plebanus in *Scheppenstede* rem *Alberto Duci Brunsvicensi* narravit. Ei graviter ægrotanti B. Virgo sanitatem sponderat, si cultum ipsius ampliaret; itaque locum libertate donavit. Hoc factum Anno Domini 1291. *Albertus* is fuerit, qui vulgo *Pinguis*, *Alberti Ducis* filius, *Ottonis*, vulgo *Pueri*, nepos. Postea *Otto Dux* (vulgo *Largus*) *Alberti (Pinguis)* filius, Anno Domini 1330 Ecclesiam & Capellam in *Cubbeling* cum omni jure dedit Monasterio S. Mariae. Subjecimus Catalogum Præpositorum, quem suppeditavit *is*, qui nunc est Præpositus loci, *DN. Hermannus von der Hardt*, Vir celeberrimus, literarum orientalium cognitione, (quas *Helmestadii* docere profitetur) insignis, idemque de Historia Ecclesiastica, *Concilio Constantiensis* auspiciis Serenissimi *Ducis Rudolfi Augusti* edito, præclare meritus; cui nostrum hoc etiam opus scriptorum Brunsvicensia illustrantium multum debet. Pag. 428 loculamento 9 wer foike, leg. ven foike. locul. 12 leg. *Hundesborch*. loc. 11 Crüle, leg. Crüce. Locul. 17 nah Helmstedt, leg. tbo Helmstedt.

XXXV. De origine Monasterii Fontis S. Mariae in Diœcesi Magdeburgensi sitæ, narratiuncta, ex eodem MSto.

QVidam ovium pastor in loco *Morddal* vidit vel somniavit, virgines, manu candelas accensas gerentes, contra arborem quandam procedere, ibique se profunde inclinare. Itaque altare ibi extruitur, quod factum Anno Domini 1190. Idem vidit imaginem B. Virginis, ex cœlo venientem, in putum descendere. Reperta imago in loco collocatur, ubi arbor fuerat. Mox religiose quædam virgines accedunt, suaque bona ad structuram Monasterii conserunt. *Wichmannus* Archiepiscopus Magdeburgensis, forte transiens, re cognita, novem mansos confert. Duo Comites *Milo & Waldemarus* plusquam centum marcas cœnobio contulerunt.

XXXVI. Henrici de Bernten Abbatis Chronicon Monasterii Marienrode Ordinis Cisterciensis prope Hildesheim.

EX Cœnobia Riddageshusano, (cujus Chronicon, ab *Henrico Meibomio* concinnatum, Tomo tertio collectionis extat) velut colonia deducta est in ericam apud *Isenbagen*, studio *Agnetis*, vidue *Henrici Ducis Saxonie & Comitis Palatini ad Rhenum*; quæ filia erat *Conradi Comitis de Landesberg*, Henrici altera conjux sed improlis; quæ ipsi supervixit, & omnibus pro Monasterio novo dispositis, paucis diebus, antequam Monachi introducerentur, obiit ipsis Calendis Januar. 1245. Sed cum locus esset incommodus monachis, & Dux *Otto*, Henrici ex fratre neppos, obiisset: studio *Johannis Episcopi Hildesheimensis* translati sunt in locum *Backenrode*, postea dictum *Marienrode*, prope urbem Hildesheimensem ad occidentem civitatis ultra montem lapideum. Erat ibi jam conventus duplex, sexus utriusque Canonicorum, videlicet Regularium S. Augustini & Sanctionialium ejusdem Ordinis, fundatore *Bertoldo Episcopo* sexto a B. Bernwardo; sed, quod disciplina prolapsa esset & incorrigibiles haberentur, cedere melioribus nunc coacti sunt, & Cistercienses de *Isenbagen* illuc transiere anno Domini 1259, primusque Abbas fuit *Detmarus*. Sed multa damna fratres deinde perpetrati sunt ex schismate Hildesheimensis Episcopatus; cum, *Ottone II defuncto*, Canonici *Henricum* ex Ducibus Brunsvicensibus, *Alberti II Ducis* filium, elegissent, & Papa *Johannes XXII* ea, quam tunc sibi tribuebat, autoritate *Ericum Schaumburgicum* nominasset. Prævaluit tamen *Henricus*, a fratribus adjutus. Reformatio etiam in Monasterio instituta est Anno Domini 1416 a *Gvidone Abate Morimundensi*

mundensi illuc accedente, adjuvantibus Abbatibus de Riddageshusen & de Clarofonte; coram quibus resignavit Abbas *Albertus*, eique surrogatus est *Henricus de Bernten*, qui hanc sui Monasterii Historiam conscripsit. Nam autor in fine præfationis ait: *Siquis (compositorem) scire voluerit, colligat initiales literas capitulorum, & inveniet.* Literæ autem collectæ conficiunt H^IN-RICUS ABBAS MARIENRODE; & autor ipse in eadem præfatione ait, se scripsisse anno gratiæ 1454, quo anno *Henricus de Bernten* secunda vice in Abbatem fuit electus, resignante *Henrico de Hagen*, qui ipsi prius resignanti successerat. Magna Monasterio sub hoc Abbatे contentio fuit cum cibis *Hildesemensibus* de quadam *lapidicina*, unde excisos in usum Monasterii lapides cives per vim abstulerunt. Abbas adiit *Fridericum Regem Romanorum*. Is *Wilhelmo Duci Brunsvicensium* rem commisit, cuius autoritate composita est. Obiit anno Domini 1463. Posteriora ejus acta & sequentium' Abbatum, ab aliis adjecta sunt. Cum deinde Duces Brunsvicenses partem majorem Episcopatus ab Imperatore obtinuissent, *Jodocus Abbas Marienrodenensis*, consensu Episcopi *Valentini de Telleben*, ad *Erichi Duci Calenbergæ residentis*, auxilium tutelamque confugit, contractu ea de re confessio. Continuator idem in Reformationem Evangelicam acriter invehitur, quam appellat maledictam hæresin Lutheranam: sed talia condonanda sunt hominibus simplicibus & interdum minime malis, qui circulos suos turbari ægre ferebant, nec consilia divina capiebant. Continuator iste videtur fuisse *Franciscus Boersem*, qui eligendus erat Abbas, si a protectione Duci *Erichi* recedere voluisset. Chronicum Monasterii sua manu descripsit & continuavit ad annum usque 1579. Codex extat in Augusta Bibliotheca Serenissimi Ducis Gvelfebytani, in quo habentur & Catalogi Imperatorum, Paparum, Episcoporum Hildesemensem & Abbatum Monasterii Marienrodenensis, ab eodem *Francisco Boersem* consignati. Paucula postrema Chronicum Marienrodensti alias adjicit. Codicis ipsius initio quidam Monachus hæc ascripsit: *Hunc librum composuit Frater Franciscus Boersem, senior nostri Monasterii Marienrode, qui vitam commutavit cum morte anno etatis sue 78 post virginem partum 1581.* Codicem alium, sed partem tantum hujus Chronicæ continentem, collationi tamen utilem, suppeditavit V. Cl. *Conradus Bertoldus Behrensius*, Medicus & Historicus insignis, aliquoties a nobis laudatus. pag. 434 lin. 14 pro *Valstede*, leg. *Vestede*. Falsus fuit autor, dum eadem pag. non procul a fine *Wilhelmi Romanorum Regem*, fratrem mariti Dominæ *Agnetis*, id est, *Henrici Palatini* facit, cum fuerit *Ottonis Duci Brunsvicensis*, Henrici fratre nati, gener. p. 435 lin. 17 pro, quamvis, leg. genere. p. 436 lin. 15 Cleri eorum, leg. *Clericorum* p. 438 lin. 5 aliquando leg. aliquantum. lin. 34 Kromer leg. *Kremer*. lin. 36 *Vestede*, leg. *Vestede*. p. 445 lin. 36 cum monte leg. *ante montem*. lin. 39 *Bokla*, leg. *Bocla*. p. 446 lin. 17 medium, leg. *modum*. p. 453 lin. 40 grefsibus leg. *gregibus*. lin. 42 monasterii sigillatim, leg. *monasterium*. p. 460 lin. 19, 20 sic legi debet: quorum beneficiorum plurimorum quatuor permagnifica memoria jugiter a fratribus sunt commendanda. p. 463 lin. 26 omittatur qui. p. 465 lin. 16 discessit.

XXXVII. Narratiuncula de occasione fundationis cœnobii S. Crucis apud Brunsvic, Monialium Ordinis Cisterciensis, ex MSto.

Monasterium Virginum, *S. Crucis* dictum, extra muros urbis Brunsvicensis ante portam Petrinam situm est. Fundationi occasionem dedit somnium hominis, qui in famulitio erat *Baldurini de Campo* militis, ut hic pluribus narratur. Ab antiquo tamen ibi jam fuit *parva Clusa*, in qua morabantur tres virgines sacrae, candidis indumentis vestite, Deo servientes nocte & die. Eaque Ecclesia fortasse a *Marchione Ecberto* fundata est anno Domini 1068, ut *Bunting. Chron.* habet part. 1 p. 55 editionis prioris. Dedicatio deinde novæ Ecclesiæ facta est anno Domini 1130 per *Conradum Episcopum Hildesemensem*, affuitque *Arnoldus Abbas Riddagesbusanus*, Cisterciensis & ipse Ordinis, ut notavit *Meibomius in Chronicis Riddagesbusano*. Cum *Henricus senior* Anno 1492 urbem obsidione premeret, moniales in curiam griseorum Monachorum (vulgo Grauen Hof) in urbe sitam se contulere. Et cum anno 1606 urbs rursus ab *Henrico Julio* obsidetur, cives Monasterium combussere, ne urbi detimento esset. Itaque cum loco non tuto situm sit, de translatione ejus in urbem agi accepimus. Plura de hoc Monasterio haber Dn. *Pbilippus Julius Rehmeierus* Brunsvicensis, Vir doctus, in antiquitatibus Ecclesiasticis urbis patriæ, (in qua nunc verbi divini Ministrum agit) Germanico sermone nuper editis parte I cap. 5, qui nobis etiam hanc narratiunculam suppeditavit.

XXXIX.

XXXIX. Excerpta ex Ordinario Ecclesiae S. Matthæi in Brunswic, a Templariis per Johannitas ad fratres Calendarum seu Sancti Spiritus translatæ, ex MSto.

Hoc itidem suppeditavit Dn. Rebtmeierus. Nota est celeberrimi Templariorum Ordinis eversio, per conspirationem Clementis V Papæ & Philippi Pulchri Regis Galliæ, qui bonis eorum inhiabat. Acta, quæ ex scriniis Puteanorum Fratrum prodiere, satis ostendunt, quam violenter & præter juris ordinem cum iis actum sit; qua de re nuper V. Cl. Nicolaus Gurtlerus fuisus egit. In Germania bonis quidem cecidere per Pontificiam autoritatem; sed criminales in eos processus minus usurpati videntur. Sane erat tunc inter Templarios Commendatores Otto ex Ducibus Brunsvincensibus, filius Alberii I Ducis, frater Alberti II, patruus Magni I, et si in his excerptis frater hujus per errorem appelletur. Fuit filius Alberti senioris quartogenitus, & ut ex diplomatis compertum habemus, de se ita scripsit: *Otto Dei gratia, Frater domus militie templi Hierosolymitani & Commendator in Supplingburg*. Huic nemo per somnium imputavit nefarias illas ineptias, quæ Templariis omnibus in Gallia & alibi improperabantur. Cum vero prævaleret tandem in Germania quoque Papalis contra Templarios autoritas; Magnus Dux patruo, iniqua paciente, contra Hospitalarios Hierosolymitanos auxilium tulit, & castrum Supplingenburg & curiam Templariorum in Brunswic in ejus utilitatem occupavit. Anno demum 1357 res ita composita est, ut Otto, dum viveret, habitaret in curia Templariorum Brunsvincensi, prætereaque reditibus Supplingeburgensis (Castro Hospitalariis tradito) potiretur; postea omnia ad ordinem Hospitaliorum S. Johannis redirent, ut Excerpta nostra fuisus docent. Ecclesia autem seu Capella S. Matthæi, quæ Templariorum fuerat, & curiæ eorum adhærebat, cum aliquamdiu steriſſet desolata, tandem largitate quorundam civium, & adjutorio *Senatus in indagine seu Hagen*, quæ pars est urbis; officiis divinis restituta est, sic ut ad beneficium præsentatio effet penes *Senatum*, Collatio penes *Priorem* domus S. Johannis. Tertius Ecclesiæ Rector fuit *Henricus de Visbeke*, qui pleraque hæc scriptis consignavit. Porro anno 1265 fundata fuerat in Brunsvincensi urbe *fraternitas Calendarum*, cuius membra se vocabant *Frates de Collegio Sacerdotalis Fraternitatis Sancti Spiritus*. Hæc Fraternitas anno 1367 comparavit capellam S. Matthæi cum sua curia, vulgo *Tempelhof*, & annexis, a Magistro *Jobanne de Werberge*, Ordinis S. Johannis præceptore, pro centum & quinquaginta marcis Brunsvincensis ponderis & valoris. *Decanus fraternitatis* postea fuit etiam *Rector* capellæ. Habebat & *Camerarium* fraternitas, qui redditus ejus curabat. Cæterum cum anno Domini 1518 Reformatio Evangelica in urbe Brunsvincensi instituta fuisset, abrogatis in Ecclesia S. Matthæi ceremoniis Pontificiis, placuit tamen, ut collegium seu corpus *Calendarum* subsisteret: nam cautum erat in contractu cum Johannitico ordine, ut, cessante fraternitate, curia templi cum annexis ad ordinem rediret. Tandem cum novissimus Romanæ Religionis Decanus obiisset Anno Domini 1566, electus est in Decanum Theologus celeberrimus *Martinus Chemnitius*. Qvod tandem Commendator Supplingeburgensis confirmavit; quemadmodum hæc, ab ipso *Chemnitio* scripto ad perpetuam rememoriam Germanico consignata, Cl. Rebtmeierus exhibuit. Atque is mos postea servatus est, ut Decani ex urbis Pastoribus sumerentur, & a Commendatore confirmarentur. De *societate Calendarum* peculiarem dissertationem olim scripsit *Jobannes de Indagine Cartusianus*, quæ extat in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, teste celeberrimo viro, *Joachimo Fellerio* Professore Lipsiensi, qui vidit, & ea usus est in sua Dissertatione de *Fratribus Calendarum*, quam Cl. *Paulinus notis* illustravit. Cum jam, ortis Fratribus Mendicantibus, orbis repletus esset Ordinibus Religiosis, & fundationes novorum monasteriorum difficiliores essent, imminuta per divisiones honorum seu Feudorum regalium, & alias causas, illustrium familiarum potentia, civitatibus vero caput erigentibus; novum foundationis genus prodit eo facilius, quod plures *seculares* coirent in *fraternitatem* ad exercitia pietatis obeunda, & preces pro defunctis fratribus dicendas. Sed piis conventibus etiam hilares congressus accessere, statisque temporibus convivia agitantur; unde abusus & querela Lutheri, aliorumque etiam anteriorum. Credibile est, cum calendæ mensium initio præ aliis observarentur, hinc nomen societatibus istis hæsiſſe. Cæterum *seculares* sibi ex Clero Rectores vel Decanos assumebant: ideo fraternitas illa S. Matthæi *Sacerdotalis* appellabatur.

XXXIX & XLIX. Johannis Busch, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, Præpositi in Sulta prope Hildesheim, & in novo opere prope Hallam Saxonum, de Reformatione Monasteriorum quorundam Saxoniæ Libri Quatuor ex MSS. [per errorem pag. 806 in inscriptio-
ne positum est: Libri II]

Nondum adulto seculo decimo quinto Reformandi quædam cupiditas Monachos non paucos incesserat. Nam præsigiebant sapientiores, crescentibus religiosorum hominum vi-
tiis, omnem apud Proceres favorem, autoritatemque apud plebem, in præcepis iturum, nisi prolapsus ille sisteretur; quem eventum reapse centum post annis experti sunt. Notavimus,
cum *Johannis Legati* Chronicum Monasterii S. Godehardi recenseremus, ubi de Bursfeldensi
Benedictinorum Reformatione agitur; exemplum Reformationis Canonicorum Regularium
ei occasionem præbuisse, quæ ex *Windesemensi cœnobio* Traiectensis dioecesis orta est, atque in-
de venit in *Northorn* Monasteriensis, & porro in *Wittenborg* Hildesheimensis; quæ omnia sunt
Canonicorum Regularium cœobia. Exemplum sequi cœpere *Clusini* Benedictini prope
Gandersheim, quorum Abbas erat *Johannes Dederot* patria Mundensis, cœnobii Northemen-
sis antea conventionalis; unde Johanni Buschio in libro de reformatione Monasteriorum *Johan-*
nnes de Northem dici solet; qui *Bursfeldam* deinde translatus, *Reinhusam* mox & alia plura Bene-
dictinorum cœobia reformavit, ut *Henricus Bodo* in Chronicum Clusino (quod edimus) notat;
unde nunc quoque supereft nomen *congregationis Bursfeldensis* ut *Windesemensis*; et si hodie
Bursfeda ipsa, post aliam Reformationem longe majorem, Monachos habere desierit. *Jo-*
hannes Legati in Chronicu suo, paulo ante citato & nunc a nobis edito notat, primum autorem
hujus totius reformationis fuisse *Gerardum Grote* seu *Magnum*, patria Daventriensem, profes-
sione Theologum, cuius divinum ingenium ait apparere ex libris. Sed *Gerardum ipsum Tho-*
mas a Kempis in ejus vita excitatum refert verbis & scriptis *Johannis de Rusbrouc* (vulgo *Rus-*
brochii) insignis *Mysticæ Theologiæ Doctoris*, cuius nunc quoque scripta in manibus oculis-
que feruntur. *Is*, (referente *Auberto Miræo* in Chronicu ad annum Domini 1381) cum an-
nos plurimos *Bruxellis* in templo D. Gudulae sacerdotium habuisset pieque vixisset, & jam sexagenarius; cum sodalibus aliquot seculo valedicens, in *Viridi-vallis* Brabantæ Canonicorum Regu-
larium habitum induisset: ibi Prior factus est, & anno ætatis octogesimo octavo in Domino ob-
dormivit. Hunc in suo Monasterio versantem adiit *Gerardus* vitæque genus admiratus, cum
postea Parisiis, ubi doctrinæ laude floruerat, reversus esset in patriam; abdicatis Canonicatibus
Ultrajectino & Aquisgranensi, totum se saluti hominum procurandæ dedit, & simile Monas-
terium Clericorum ordinis Canonicorum Regularium molitus est; sed morte præventus non ab-
solvit; ultima tamen ejus voluntas exitum fortita est, nec tantum ex voto ejus structum est Mo-
nasterium in *Windesem* prope Daventriam, sed & aliis cœnobii veteribus novisque accedenti-
bus, *Congregatio Windesemensis* prodiit. Nam eandem ad normam Monasterium mox *Northorne*
in dioecesi Monasteriensi fundatum est, & ipsum illud *Viridis-vallis* cœnobium, annite *Petro de*
Alliaco Episcopo Cameracensi, cum aliis per Germaniam & Belgum, Congregationi Windes-
hemensi accessit, cuius capitulum generale in Windesheim habebatur. Ex hoc cœnobio pro-
diit *Johannes Buschius*, cuius opus edimus. Sed idem *Gerardus* alterius instituti autor fuit,
Clericorum, qui sub regula Divi Augustini vivebant, docendæ autem juventuti & libris etiam
scribendis operam dabant; de quibus *Buschius* agere videtur lib. 1 cap. 54. 55. In procœmio
officii Ecclesiastici Eremitarum Augustinianorum, ubi ordines universi, sub D. Augustini signis
militantes, recensentur, vocatur *ordo vitæ communis* a *Gerardo Teutonico institutus*, & a *Gre-*
gorio XI anno 1376 approbatus sub regula S. Augustini. Sed *Miræus* ad annum 1384 operis Chro-
nicæ, ubi nos multa de hoc instituto docet, de approbatione illa dubitat, quia nulla ejus est apud
Christianum Massæum, Chronographum & Ordinis sodalem, mentio. Contradictores non
defuere, & quidam in Concilio Constantiensi ausus est dicere, fratres congregatos esse ex illis,
quos duqum Romani Pontifices, *Bonifacius*, *Clemens* & *Johannes* exterminaverant, nempe *Fra-*
tricellis. Sed *Johannes Gerson* Cancellerius Parisiensis eos defendit non voce tantum, sed & li-
bro composito, ostenditque, institutos esse, ut *scholas tenerent*, & non tantum literas, sed &
mores quoque & vitam laudabilem, discipulos suos docerent. Vivere eos in communi secun-
dum instituta primitivæ Ecclesiæ sine proprio, sine mendicitate, dioecesanis suis simpliciter sub-
ditos;

ditos; quæ ita placuerunt, ut Concilium, præsidente *Martino V*, modo eorum vivendi comprobato, hortaretur eos, ut viriliter agerent, scholas erigerent, & ad pietatem discipulos instituerent, quibus Ecclesia Dei fulciretur. *Eugenius* quoque IV & *Pius II* privilegia Fratribus concessere. Itaque hi vita communis Clerici, (iidemque reapse scholarum piarum) primi (nontante Miræo) per Germaniam inferiorem (id est, maritimam seu Saxonica Dialecto utentem, qua non tantum Balthici, Holsati, Brunsvicenses, Bremenses, sed & Frisi, Batavi, Belgæque Teutonici continentur) literas humaniores excitarunt. Scholas celeberrimas habuere, *Cameracensem*, *Bruxellensem*, *Sylviducensem*, *Macbliniensem*, *Gandensem*, *Gerardimontensem*, *Winocci-bergensem*, *Leodiensem*, *Daventriensem*, *Zwollensem*, *Dusoburgensem*, *Ultrajectinam*, *Goudanam*, *Noviomagensem*, *Embricensem*, *Vesaliensem*, *Colonensem*. Inter Fratres scriptis celebres facti sunt cum alii, tum *Gerardus Zutfanensis* scriptor Asceticus, *Gabriel Biel*, insignis in Theologia Scholaistica, qui novam *Tubingensum* Academiam imbut, & sectæ Nominalium magnam in Germania autoritatem dedit. Ex scholis eorum plurimi scriptis celebres viri prodiere, quos enumerat Miræus: ex Daventriensi, *Alexander Hegius*, *Desiderius Erasmus* & *Johannes Murr-melius*; ex Embricensi, *Matthias* & *Tilmannus Bredenbachii*; Ex Noviomageni *Petrus Canisius* & *Busei* fratres; ex Ultrajectina, *Cornelius Valerius*, *Henricus Cuykius*, *Franciscus Harœus* & *Henricus Sedulius*; ex Sylviducensi, *Johannes Nemius*, *Simon Verepaus*, *Christophorus Vladeraccus*, quorum plerique fratribus in erudienda juventute auxillo fuere. Itaque institutum eorum gemellum fuit instituto *Patrum Societatis Jesu*, qui & ipsi Clericorum Regularium genus statim ab initio habitu sunt, & juventutis institutioni se dicarunt; sed collegiis sive scholis Jesuitæ adje-re domus professas, privilegiis mendicantium utentes, quarum incolæ patres, magis confessionibus concionibusque vacant. Paucas hodie fratum scholas superesse, notat Miræus, *Sylviducensem*, *Colonensem* & *Vesaliensem*, & alia aliquot Fratrum domicilia: cætera fere temporum iniquitate desisse, & aliis religiosis hominibus, (fortasse Jesuitis) esse attributa. Nempe in hujusmodi institutis plerumque principium fervet.

Sed *Congregatio Windesheimensis* Cœnobia Canonorum regularium S. Augustini refor-mata, & ad regulæ institutum revocata, complexa est; sublatis non tantum criminibus, quæ etiam in laicis culpantur, sed & quæ regulæ peculiariter contraria erant, nempe inobedientia & proprietate. Nam tria religiosi instituti substantialia habebantur, *castitas*, *obedientia* & *pau-pertas*; paupertas, inquam, non cœnobii, sed singulorum. Porro *Johannes Buschius*, cuius liber hic prodit, tunc floruit, cum institutum reformationis vigeret. Zwollas vocat civitatem suam, ubi ad supremum locum particularis studii, (id est, in primam Classem scholæ patriæ) promotus anno ætatis 15, magnam de se spem excitavit. Anno 18 in *Grammatica* & *Philosophia* ita profecerat, ut a Magistris suis vix aliquid amplius discere posset. Ibidem ipse scholæ aliquamdiu præfuit quinto loco, & ad oecoginta scholares habuit. Itaque parentes eum ad Studium generale *Erfordiensis* mittere cogitabant, ut ad gradum Doctoratus suo tempore ascen-dens, familiæ decori & emolumento esset. Sed ipse sibi saepe ob oculos ponens æternitatem, secularia relinquere decrevit, ægerime annuentibus suis. Itaque ad *Windesheimensem* conuentum ac-cessit & in novitiatu multas, non carnis tantum sed & incredulitatis, tentationes sensit, ut saepe de divinitate Christi dubitaret; quas particulatim cum simplicitate quadam *initio* *bijus libelli* exponit. Sed omnibus impedimentis divino auxilio superatis, investitus est in *Windesem* Anno Domini 1419 Colonæ Presbyter ordinatus, aliquamdiu egit in *Monasterio Bodingensi* *Coloniensis* diœcesis in ducatu Montensi, de cuius & fundatione agit, eo missus A. D. 1424. Adhibitus deinde est Reformationi Monasteriorum. Agit de reformatione Monasterii S. Martini in *Lundinercæ* in Frisia Trajectensis diœcesis, quod coeptum est reformari Anno Domini 1428. Ipse eo venit Anno Domini 1429, sed mox inde cum *Godefrido de Tiela* missus est ad *Monasterium B. Marie in Sion* partium Hollandiae in *Beverwick* Trajectensis diœcesis, eodem anno 1429 inchoatum. Cum vero Godefridus ille Anno Domini 1437 in *Monasterio B. Mariae in Wittenborh* territorii Brunsvicensis, diœcesis Hildesiensis, Prior factus fuisset; Johannem Buschium ad *Supprioris* officium vocavit. Ambo deinde Anno Domini 1439 iussu congregationis *Windesem* ad reformandum Monasterium *S. Bartholomei in Sulta*, prope Hildesiam situm, acces-serunt, & anno 1440, Præposito ibi resignante, *Johannes noster ei surrogatus* est; atque ita *Monasterium Wittenborgense* primum fuit in Saxonia, quod hanc Reformationem admisit, & ad alia ibi propagavit. Adjicitur hic præceptum Concilii Basileensis ad Priorem de *Windesem* & Prio-rem de *Witenborb*, datum anno Domini 1435, in quo munus alia Monasteria reformandi ipsis committitur. Porro Monasterium *S. Bartholomæi in Sulta* prope Hildesheim nomen ha-

bet ab aquis aliqua salsuginine infectis, ibi salientibus. Narrat autor, aquas salsas & Dæmonum habitatione infestas, precibus S. Godebardi dulces factas, Dæmonibus pulsis. Sed natura contingere potest, ut fons paulatim salse nem amittat, sive exhausta salis materia, sive mutatis venis affluentibus. In loco aquis circumdato primum *Godebardus ptochotrophium cum edicula adificavit*, qvod ajunt factum Anno Domini 1024. Postea *Bruningus Episcopus Hildesemensis Canonicas Regulares ibi instituit anno Domini 1116*, & deinde ibidem sepultus est. Extabat ante chorūm sepulchrūm elevatum tectum lapide, in quo imago Episcopi sculpta. *At nos (inquit autor) banc imaginem in reformatione introtulimus, & circa altari Confessorum ad ostium chori eam posuimus, imaginem S. Godebardi eam vocantes; & canem ad pedes ejus sculptum, in imaginem Daemonis commutavimus eo quod idem Sanctus Demonem de Sulta expulit.* O factum male! Habemus reum confitentem. Monumentum fundatoris tolli, & in fabulæ autoramentum verti, nemo prudens laudabit. Ita passim homines audaculi in antiquitatis vestigia grasseti sunt. Ipse igitur *Johannes Busch*, factus in hoc Monasterio Præpositus, post multos labores ibi reformationem paulatim introduxit. Postea Monasterium in Sulta *Congregationi in Windesem incorporatum est*, (pag. 496) ea lege, ut nomen Præpositi mutaretur in nomen *Prioris*, & Archidiaconatus, quem exercebat Monasterium, deponeretur, & Episcopus Hildesemensis dimitteret jus confirmandi Præpositi vel Prioris; quæ agre tandem a *Magno Episcopo* sunt impetrata. Sed ut apparet, non duravere; certe *Præpositi* titulus in hunc usque diem permanuit. Tandem *Buschius a Friderico ex Comitibus de Bichelingen*, Archiepiscopo Magdeburgensi, anno 1448 vocatus est ad majorem ordinis prælaturam, nempe ad Monasterium B. Mariæ & S. *Alexandri*, dictum *Novum opus*, prope *Hallas* reformandum & regendum. Mox etiam monasterium S. *Mauritii Hallis* reformavit, & Monasterium in *Ettersborg* in Thuringia prope *Vinarium* fundatum olim a *Comitibus de Gleichen*; & Monasteria aliquot *Erfordiensia*, tam sui ordinis quam aliorum. Successit in Prioratum Sultensem *Arnoldus de Gandersem*; quo post duos annos cum dimidio moriente, substitutus est *Bertoldus Segemeier*; & hoc, post octo annos cum dimidio resignante, *Johannes Buschius*, qui interim ex Novo Opere Hallensi discesserat, iterum electus est Prior Sultensis anno Domini 1459. Medio tempore, & postea aliquamdiu, autoritate Pontificia ex commissione *Nicolai Cardinalis Cusani*, in Reformatione Monasteriorum perrexit. Cum deposita *Novi Operis Præpositura*, circa annum Domini 1456 in *Conventum Windesemensem* reversus, per triennium circiter non nihil otii haberet, ait (lib. 1 cap. 14) se scripsisse de *Viris illustribus*. Is est liber *Johannis Buschii de origine Congregationis Windesemensis*, ejusque viris illustribus, quem anno 1611 Antverpiæ (in 8) edidit *Heribertus Rosweidus Soc. Jes.* vir doctus, primus consilii de Actis Sanctorum colligendis autor, quod nunc doctissimi Patres Antverpienses sequuntur & prosequuntur. *Mireus in Chronico Universali* (sed brevi) ab Anno Domini 1200 ad sua usque tempora, Anno 1608 in 4°. Antverpiæ edito; ad Annum Domini 1387 ita de hoc opere loquitur: *Quibus potissimum autoribus ex isto Fratrum seu vite communis Clericorum cœtu Congregatio Windesemensis primum cœperit, adoleverit atque ad summam vitæ perfectionem pervenerit, accurate describit Arnoldus Buschius in suo libro de origine virisque illustribus capituli seu congregationis Windesemensis, qui Lovanius ad D. Martini & alibi Manuscriptus afferatur.* Hæc nempe scripsit ante Editionem Rosweidi: sed memoria lapsus est, (vel potius deceptus a *Tribemio in Catal. Vir. Ill.*) Arnoldum vocans pro Johanne. Idque ipse correxit in Rerum Belgicarum Chronicō, Anno Domini 1636 Antverpiæ in fol. edito ad eundem annum; ubi & editionis, Antverpiæ jam factæ, meminit.

Occasio, cur *Rofweidus Buschii* opus de *Viris Illustribus* congregationis Windesemensis quæreret ederetque, nata est ex *controversia Kempensi*, de vero autore operis celebratissimi, quod sub inscriptione *Thoma de Kempis de Imitatione Christi* circumfertur. Nam *Thomam de Kempis* ex *Canonice Regularibus S. Augustini* congregationis Windesemensis fuisse, & in Monasterio *Montis S. Agnetis* prope *Zwollam* urbem, vix milliari Germanico a Windesemio distante obiisse, constat. Is præter alia opuscula Spiritualia libros quatuor piæ contemplationis conscripsit, qui deinde junctim editi, sub titulo librorum *de imitatione Christi* prodiere; et si autoris consilium hoc fuisse, aut certa eos methodo cohærente non appareat. Itaque ab ipsomet, & a *Buschio* (contemporaneo) per initia citantur indicanturque. Extant in *Belgio* aliquot exempla, ipsius autoris *Thome* manu scripta, quæ amicis donasse videtur, aliis ejus opusculis interserta. Talis est *Codex Lovaniensis S. Martini*, cui miniatis literis subscriptum ab autore: *Finalis & completus Anno Domini 1441 per manus Fratris Thomae Kempis in Monte S. Agnetis prope Zwollam*. Nam autor ex humilitate nunquam cuiquam opusculo suo autorem sese inscripsit.

Compo-

Composuerat opus jam anno Domini 1427; sed diu postea supervixit, & cum ordinem ingressus esset anno Domini 1400, anno demum 1471, major nonagenario, decepsit. Typographia increbrescente, mox edi cœpit hoc opus; sed Typographi quidam lucri causa D. Bernardo, nonnulli Johanni Gersoni, viro celebri, ascripsere. Bernardus autor eorum esse non potest, cum Francisci de Assisio mentionem faciant, qui Ordinem Minorum fundavit. Et Frater Gersonis, Prior Cœlestinorum apud Lugdunenses in Epistola ad Anselmum Monachum, fratnos labores enumerans, hujus non meminit. Et qui Gersonis Elogium fecit, opusculis Viri præfixum, diserte de hac re ita scripsit: *Alii autem tractatus sibi (ipsi Gersoni) nonnunquam tribuuntur, ut est libellus de Contemptu Mundi, quem constat a quodam Thoma Canonico regulari editum.* Itaque qui Gersonis opera edidere, hos libros exclusere. Titulus operis tam de *Imitatione Christi*, quam uta non nullis citatur, de *Contemptu Mundi*, non videtur fuisse ab autore præscriptus, sed sumptus ex titulo capituli libri I, qui est de *Imitatione Christi & contemptu omnium vanitatum mundi*. Ipse autor hos libros designare solebat verbis initialibus primorum capitulorum: librum I. *Qui sequitur me. lib. 2 rerum Dei. lib. 3 Audiam, quid loquatur. lib. 4. venite a me.* Nec omnes libri quatuor semper sunt conjuncti, aut eundem in ipsis autoris codicibus ordinem servant: ut appareat, non cohaesisse, sed diversa, et si cognata hæc opuscula habita ipsi fuisse. *Ac biles Statius* in editione eorum *Parisina* anni 1541 refert, veterem *Editionem Brixianam* eosdem libros Thomæ a Kempis tribuere; & editio *Norbergensis* Anno Domini 1494 ceteris Thomæ opusculis eos præfixit, quam secutus est *Jodocus Badus Ascensus Parisii* 1524 & postea aliis passim.

Primus se objecit *Bernardinus Rossignolius* Jesuita, (apud *Poffevinum* in *Apparatu Sacro*, ubi de Thoma a Kempis agit,) qui codicem invenit Monasterii Arona ad Verbanum lacum, in quo *Johannes Geffen* autor ascribebatur. Eaque res etiam *Bellarminum* in *Scriptoribus Ecclesiasticis*, de *Gerson* loquentem, commovit, ut Thomam nostrum deserere videretur. Sed cum Johannem Gersonem, Cancellarium Universitatis Parisinæ, autorem non esse constaret; *Constantinus Cajetanus* ex ordine S. Benedicti, Abbas S. Baronti, Vir doctrinæ non vulgaris, contendit, fuisse nescio quem *Johannem Geffen vel Geffen*, Abbatem Benedictinum, operis autorem. Et multos de Thoma a Kempis dubitare fecit productus locus ex opusculis Bonaventurae Tom. VII Operum parte 4 opusculorum, collatione septima inter octo Toloæ habitas; ubi ad verbum habetur bona pars capituli ultimi lib. I de imit. Christ. cum his verbis in fine collationis: *& cetera, ut patet in devoto libello de imitatione Domini nostri Jesu Christi.* Sed *Heribertus Rosweidus*, & ipse ex inferiori Germania oriundus, tantum decus nationi sua injuria eripi non tulit, & *Vindicias Kempenses* Cajetano opposuit Antverpiæ 1621 8°, easque *Paulo Schoof*, Capituli Windesheimensis per utramque Germaniam Generali, nec non Monasterii Rubeæ Vallis Priori inscripsit. Crediderat Cajetanus, codicem Aronensem ab antiquo tempore in Monasterio Aronensti, olim Benedictino, postea Jesuitis attributo, fuisse. Sed ostendit Rosweidus, *P. Andream Musolum*, cum Anno Domini 1579 Genua proficeretur Aronam, ad domum probationis Societatis Jesu, quam ingressus erat, hunc librum ex domo paterna secum eo attulisse; eundemque esse mendose scriptum, & nunc *Geffen*, nunc *Gersen* habere, idque haud dubie profectum ex opinione quorundam, qui notissimum Gersonem pro autore libri habebant; & ignorantia scriptentis, qui eundem Abbatem fuisse credidit. Sed etiam ad Bonaventurae locum egregie respondet, ostendens, hos libros citare *Libertinum* Bonaventura posteriorem; & cum multis aliis, a viris piis & doctis Ordinis Minorum scriptis, Bonaventurae tanquam celebriori suppositos fuisse. Cajetanus etiam Italicismos quosdam in libris de *Imitatione Christi* deprehendere sibi visus erat. Sed eos omnes loquendi modos Rosweidus etiam in Germanorum scriptis frequentari ostendit; & contra, complures profert indubitatos Germanismos, a Thoma nostro & in controverso opere, & in aliis, usitatos; ex quibus ille in primis insignis est, *scire aliquid exterius; scires totam Bibliam exterius* lib. I § 3, id est, si scires memoriter, Germanis superioribus *auswendig*, inferioribus *van bryten*; id est, clauso libro, nec nisi exterius aspecto ita scire, quæ continet, ac si intropiceret. Ita *Thomas de Kempis* & in aliis opusculis; ita & *Buschius* noster, conterraneus ipsi & contemporaneus, aliquoties loquitur. Hinc & *Codicis Aronensis* scriptor Italus, istud *exterius*, quod non intelligebat, omisit, et si habeant omnes codices & omnes editiones; excepta una *Anwerpiensi* 1575, quæ pro exterius posuit memoriter. Sic leviter indignari, id est facile; caderet super consolationes, id est, in eas incidere; *bene stare cum aliquo*, id est, aliquo amico uti; *quare tam paratibi ad cor transiunt?* (zu herzen gehen) id est, animum penetrant; *gravitas* pro difficultate, Germanis *Schwürigkeit* aliaque id genus multa. His argumentis pro auto re librorum *Thomae de Kempis*, egregia testimonia accedunt; sed primarium *Buschii* nostri, a

Rosweido ex codice de Viris illustribus tunc Manuscripto erutum. Buschius ergo libro 2 Chronici Windesemensis c. 21, agens de morte *Johannis de Hensden* Prioris Windesemensis, (qui obiit 1424, ait, duos Fratres notabiles de Monte S. Agnetis prope Swollis (sic loquitur) venisse, Priorem consulturos; quorum prior *Frater Thomas de Kempis*, vir probata vita; qui plures libros de votis composuit, videlicet, qui sequitur me, de imitatione Christi, cum aliis; nocte insecuritas somnum vidit presagium futurorum &c. Cum haec scriberet Buschius, Thomas adhuc vivebat, & quidem in Monasterio vicino. Mortuis jam Thoma & Buschio, *Trithemius* in Catalogo illustrium Virorum Germaniae, duos in eodem Monasterio fuisse scribit fratres germanos de *Kempis*, qui scripta pia reliquerint; ex quibus junior autor habeatur librorum de imitatione Christi: alios vero tribuere seniori, quia librum jam a majoribus lectum meminerint. Sed ignorabat *Trithemius*, Thomam nostrum fuisse tam longevum. Frater ejus natu major Priorem in eodem Monasterio & aliis egit, sed libros non composuit. His jungendus autor vita *Thome a Kempis*, Editioni Noribergensi de 1494 adjunctus, ait; Thomam, quando sentiret inspirationem divinam, humiliter licentiam petisse, dicentem: Dilectissimi fratres, aliquis me expectat in cella. Quid tunc loquebatur Dominus, & quid loquebantur ad invicem, habemus (inquit autor vita) in tractatu ejus de interna Christi locutione ad animam fidem, qui tractatus habet hoc idem pro themate in secundo capitulo: loquere Domine, quia audit servus tuus. Designatur tertius liber operis de imitatione Christi. Idem autor vita ait, Thomam nomine fuisse dictum *Hämmerlein*, id est, *Malleolum* (ut *Felix Malleolus Suevus*) & fuisse oriundum ex oppido Kempen diecesis Coloniensis. Controversia Kempensis diu adhuc agitata est, mistusque ei tandem *Gabriel Naudeus*, acrem librum contra Benedictinos quosdam scriptis, eosque injuriarum & falsi postulavit. Vicissim *Constantinus Cajetanus*, Rosweido & Jesuitis iratus, ipsum *Ignatium Lujolam* Societatis Jesu fundatorem, plagi accusavit, quasi *Exercitia sua spiritualia* ex opere cuiusdam Benedictini sublegisset. Quod Jesuitis objicentem legi autorem *Apologiae Cyriacorum*, id est, *Vincentium Baronum Dominicanum*, qui *Theophili Raynaudi* Jesuitae libello, cui titulus; immunitas *Cyriacorum a Censura*, hunc opposuerat. Postea ipsam Cajetani dissertationem *Venetius* manuscriptam legi. Ceterum ob Buschii testimonium de Thoma a Kempis, Rosweidus ejus opus de Windesemensi congregatione in lucem edidit, & Vindiciis suis Kempensiis adjectit.

Porro præter opus illud de *Viris illustribus Windesemensis*, aliud Buschius noster de *rebus a se ipso gestis* composuit, quod nunc damus, id est, de *Reformationibus Monasteriorum*, quibus plerisq; manum admovit, quorum major pars in his & vicinis regionibus sita est. Cum ergo de opere hoc nostræ Collectioni inserendo cogitarem, non aderat nisi pars, quæ etiam in hoc Tomo secundo prodiit a pag. 476 ad pag. 506, quam ex codice, qui *Hamerslebiensis Monasterii* fuerat, manu sua exscripterat Cl. Vir *Johannes Henricus Hofmannus*, Archivarius olim Hanoveranus. Postea per DN. *Rudolfum Wilhelmmum König Osterodanum*, Studiis Theologicis cum laude vacantem, innotuit nobis, *Kilonii* in Bibliotheca Academica extare codicem Manuscriptum pleniorum, (forte ex *Segebergensi* ejusdem Ordinis Monasterio allatum) unde ipse partem, ad Coenobia hujus regionis pertinentem, exscripterat. Eum promta & officiosa opera V. Cl. *Sebastiani Kortholti*, Professoris illic doctissimi impetravimus, antiqua scriptum, sed non imperita manu, & quæ legentem non admodum moraretur. Exterius legebatur *Historia Busca*. Cumque priora jam impressa essent; nove quæsita, cum supplementis priorum ex intervallo, aliis licet opusculis intersertis, dare necesse fuit. Primi ergo libri lacunæ passim suppleræ sunt ex Codice Kiloniensi, secundus autem pene integer datus. Et redintegratus videbatur Buschius, nisi aliquot loca occurrisserent, ubi tertius liber citatur, velut lib. 2 c. 12. c. 23. Itaque Sultenses, quorum autor Rectorem egerat, consulere in mentem venit; interventuque Medici & Historici Celeberrimi DN. *Conradi Bartholdi Bebrensi* salutatus Vir insignis, Coenobii incliti Praepositus, Buschii sui, & gloriae Ordinis studiosus, Maxime R. P. DN. *Job. Casp. Zeppenfeld*, adesse opus faslus est, sed ut copiam ejus saceret, difficulter adduci potuit; donec ex indice capitum, nobis jam suppetentium, maximam partem edendam adesse intellexit; maluitque adeo integrum editum Buschium, quam mutilatum. Igitur apographum voluminis, in usum Fratrum, ut scilicet opus utile & asceticum commodius legere possent, aliquando ex originali transcriptum, humanissime transmisit. Unde quædam libri secundi capita nobis deficientia, tertii maximam partem, & quartum, licet ceteris breviorem, atque ita opus, quantum judicari potest, integrum, tandem nocti sumus, edimusque a pag. 806 ad pag. 970 nisi quod jam ante edita in hoc ipso volume non sunt repetita, sed tantum indicata. *Sultense Manuscriptum Hamerslebiensi* sic sat.

tis te-

tis tenore verborum, et si non ordine capitum, consensit. *Kiloniense* verbis ab utroque plurimum abit, et si ordine capitum Sultensi plerumque concordet. *Kiloniense* tamen (quod mireris) saltem quoad librum primum & secundum posteriorem autoris elaborationem coniunct; posteriorem, inquam, integro biennio. Nam in codice Kiloniensi lib. 2 c. 17 haec verba leguntur: *Ego in Sulta Prior & Prepositus prefui illis* (Monialibus in Heiningen) *jam annis quatuordecim.* Sed in Sultensi habetur: *annis jam pene duodecim.* Et ejusdem libri, capite 21 in edito & Kiloniensi, vigesimo autem in Sultensi; aliud annorum discrimen appetet. Nam scribere se ait in Sultensi anno 1470; in Kiloniensi autem tertio post anno. Nec tantum phrasis passim mutata est, sed & quædam omissa; plura vero addita in Kiloniensi deprehenduntur. At librum tertium, post haec absolutum, exhibet *Sultensis codex*; nam in libri 2 fine Kiloniensis habebatur, eum scriptum fuisse Anno 1473. Sed in fine libri tertii codicis Sultensis haec leguntur: *Anno Domini MCCCCCLXXVI, & anno etatis meæ LXXVI. haec scripta complevi.* Tandem anno Domini 1479 renuntiasse muneri, & mox obiisse, Codici Autographo (juniore licet manu) ascriptum intelleximus.

Non spernendum est hoc opus, cum multa contineat, quæ statum Ecclesiarum Germanicarum, per Saxoniam maxime inferiorem, superiorem etiam & Westfaliam, vergente jam seculo XV post *Concilium Basileense* egregie illustrant. Ex quo intelligi datur, magnos quidem abusus invaluisse in Monasteriis, sed non tantam ignorantiam aut corruptionem fuisse, quanta vulgo creditur. Buschium enim non dissimulare corruptelas, neque adulari suis, manifestum est. Fuit in Viro doctrina mediocris, sed ingenium acre, & zelus insignis; cæterum mistum aliquod inter visionum fidem & judicandi libertatem. Videbatur sibi aliquando audire vocem intra se loquentem, quasi Genium quendam, unde de nonnullis eventis judicavit, vid. lib. 3 cap. 2 c. 8, morbos etiam nonnullos eorum, quorum magna erat fides, curabat, cap. 3. Sed aliquando mulieri visionariæ, calida cerevisia data & somno ita conciliato, phantasias abegit, lib. 3 cap. 34. Nempe sibi multum credebat, aliis parum. Magno nisu defendit contra Dominicanum quendam prædicatorem, laicos libros devotos, vulgari sermone scriptos, permittendos esse d. l. 3 c. 17. Concedit tamen, libros missales in vulgarem loquaciam verti non debere, nec subtiliores Theologiae Scholasticæ; improbatque, quod quidam Dominicanus *Magistrum sententiarum* Teutonice vertisset. De libris scripturæ sacræ versis silet. Mirabar aliquando in Bavaria, cum die parasceves processio quædam pontem transiret, in quo prostat *imago crucifixi*, hanc a prætereuntibus percuti: sed ritum jam olim usurpatum fuisse, ex lib. 1 cap. 13 intellexi. Nam in add. ad p. 500 habetur: Ego stationem tenui, & *crucifixum percutiens*, cantavi: percussum pastorem, & dispergentur oves. *Hallensum* devotionem laudat lib. 1 c. 14. Habet insigne prædicatorem in suo ad novum opus Monasterio, magna ad persuadendum efficacia. Is a nostro dicitur tamdiu in prædicando instituisse unius præcepto Domini, donec observari notasset; tum ad aliud processisse. Itaque quidam Doctor Ordinis Minoris Numburgi pro concione dixit: Hallis decempræcepta prædicantur & servantur: vos nisi etiam servaveritis, omnes peribitis. *Rustici* etiam illis in oris bene instructi erant, & catechismum suum probe tenebant (lib. 1 c. 15.) Alicubi etiam a Plebano suo persuasi, neminem in popina admittebant, qui non prius Orationem Dominicam, salutationem Angelicam & Symbolum Apostolicum recitasset. Canebantur etiam jam tum in domibus Teutonicæ cantiones, qualis illa Paschalis, quæ nunc quoque in nostris Ecclesiis usurpatur, *Christ ist erstanden* &c. vid. lib. 3. Novit & laudat celebres sui temporis in Saxonia Theologos seu sacræ paginae Doctores, quorum etiam scripta passim habentur; *Henricum Take* (vel Toke) apud Magdeburgenses, & *Jacobum Cartusianum* apud Erfordienses. His addit *Henricum Psalterii*, Ordinis Eremitarum S. Augustini (ex quo Lutherus postea) Provinciale. Lib. 1 c. 23, *Lippia* Monasterium S. Thomæ sui ordinis visitans, ceremonias promotionis cuiusdam in Doctorem Juris describit, qualium nunc quoque bona pars servatur; aliam habet c. 27 *Erfordie* celebraram, ubi Doctori Juris Canonici biretum brunum imponitur, Doctori Juris Civilis rubrum. Habet etiam nonnulla, ad Rempublicam pertinientia, quorum quædam attingere re erit. Dicit (lib. 3 c. 41) Duxem de Lauenburg, Fratrem Magni Episcopi Hildesiensis, excidisse Electoratu Saxonie, quia potator fuit, quod Sigismundus Imperator aversabatur; qui Electoratum Friderico Marchioni Misniæ & Landgravio Thuringiæ contulit, a quo contra Hussitas adjuvabatur. Hujus filiorum etiam, Friderici Electoris & Wilhelmi, lites attingit c. 14 pag. 50r. Observat (lib. 1 c. 22) regiones has & vicinas dictas terras Ruterorum (equitum, Gallis Reistres) id est prædonum: tunc enim ex munitis locis, in montibus aut inter paludes sitis, viri equestres prætereuntes frequenter infestabant.

M

Idem

INTRODUCT. IN COLLECTION. SCRIPTOR.

Idem & vocabulum *Rolovinkius de Westfalia* hoc sensu usurpat. Add. Busch. lib. 3. cap. 47. Sed memorabiliora sunt, quæ de *Judicio Westfalcone seu Femico*, vulgo *Freygericht* habentur lib. 3 c. 42 & 43. *Dux Holstiae* Virum insignem, olim copiarum suarum Praefectum, in vincula conjici per Lubecenses curaverat, in quibus & obiit. Cognati ejus citant Lubecenses ad liberam sedem Westfalicam; & refertur, primam hujus judicij instantiam ibi celebratam fuisse super ponte Lauenburgico, ubi & Lubecenses comparuere. Ibi Ducem *Ericum* fuisse judicem; ab hoc appellari potuisse ad Electorem Saxoniae; ab hoc denique ad Imperatorem. Ea tunc hominum persuasio erat; & Principes ipsi in suis aut vicinis ditionibus sibi Judicij Westfalici autoritatem attribuebant, vel etiam privilegiis Imperatorum aut consuetudine acquirebant. Itaque *Wilhelmus Dux Brunsvicensis* tunc dicebat, se esse liberum Scabinum liberae Sedis Westfaliæ. Sed invalescentibus abusibus, constitutisque Judiciis Imperii & pace publica fancita, hoc judicium tandem abrogatum est. Multa alia in hoc autore memoranda occurunt, ad cognoscendam ejus temporis faciem lectori profutura. Cæterum non omnia, quæ hic ex Codice Hamerslebensi dedimus, Buschium autorem habent: quædam enim ab aliis Codici ascripta fuerent, præsertim quæ p. 489 ad posteriora tempora pertingunt. Sed quæ de *Theodorico Engelbusto* eadem pagina habentur, utrum ad *Hermannum Ryd*, Monachum Witenborgensem, an ad alium pertineant, non dixerim. Certe in Kiloniensi & Sultensi Manuscripto defunt.

XL. Monachi Hamerslebensis Narratio de Baslica Goslariensi ejusque Præpositis.

Cum Imperatores Franci *Conradus Salicus*, ejusque posteri, crebro *Goslariam* diverterent; Ecclesia loci collegiata in magna dignatione fuit. *Canonici* enim plerique *Capellani* erant Principis, insignes nobilitate, & mox ad *Episcopatus promovendi*, quorum tunc collatio penes Imperatores erat. Itaque Catalogus Præpositorum Goslariensium, qui ad summas Ecclesiæ dignitates ascenderunt, nobis a Monacho Hamerslebensi conservatus est, quem primus edidit *CL. Maderus*. Similem tamen jam dederat *Hieronymus Emserus*, qui *Bennonis* res illustravit, ex Goslariensi Præposito Episcopi Misénensis; tandem in Sanctorum numerum relati. Utrumque contulit maxime reverendus *Heineccius* in Antiquitatum Goslariensium opere. Est ad manum & *Lezneri Catalogus nondum editus*; qui etsi quædam habeat emendatoria, & ipse tamen nœvis non caret. Itaque malumus Lectorem, plura de Præpositis Goslariensibus nosse volentem, ad *Heineccianum opus remittere*, ubi diligenter hoc argumentum tractatur. Nobis satis nunc est curare, ut hujusmodi veterum opuscula historica Tomis majoribus scriptorum inserantur, ne intercidant.

XLI. Johannis de Polda Chronica Ecclesiæ Hamelensis, suppleta & emendata ex MSto.

Altor fuit senior *Canonicus Ecclesiæ collegiatae Hamelensis*, ut ipse ait. Scriptis hæc circa annum Domini 1374, & negotia sua Ecclesiæ apud *Duces Brunsvicenses* aliquoties tractavit. Libellum hunc edidit Tomo 2 collectionis sua V. CL. *Henricus Meibomius junior*, sed incidit in Exemplar corruptissimum, ubi plurima ita sunt perversa, ut sensus nullus vel intolerabilis prodeat. Itaq; emendatum & auctum recudere necesse fuit. Specimina corruptionis nonnulla annotabimus. Statim initio pro: *vera Roma*, legendum, *vetera Roma*, nempe ad discriminem novæ, scilicet Constantinopolis. Papa (Winfredo) dicitur dedisse prænomen *fili*, legendum: prænomen *sibi*, quod est *Bonifacius* -- imposuit Carolum Martellum vel *tendentem*, *lege*, *tendentem*, (vel *tuditem*, ut alibi) pro: *Peleranus*, *leg*. *Spoletanus*, pro: *Thesaurarius Ecclesiæ Hamelensis*, *lege*, *Moguntinenis*; pro *conservatione capelle penes Wisseram*, *lege*, pro *consecratione capelle pontis Wisseræ*, (quæ correctio negligentia, quadam etiam in impressione nostra omissa: hinc supplenda est) aliaque id genus multa occurunt. Fabulosum haud dubie est, Ecclesiam Hamelensem a S. Bonifacio fuisse fundatam anno Domini 712. Neque enim appetet, Bonifacium in Saxoniam nostram penetrasse unquam; neque credibile est, Ecclesiam fuisse structam ad *Visurgim*, cum adhuc a Visurgi usque ad Rhenum omnia pagana superstitione horrerent, & Carolus M. demum Ecclesias in *Eresourgo* & postea in *Padebrunna*, fundarit, quæ loca Francis & Reno sunt viciniora. Ex dip. omatibus Corbejae novæ aliqua suspicio est, locum Hamelen huic Monasterio olim subiectum fuisse, & postea commutatione quadam pervenisse ad *Fuldenses*. Qui, cum Episcopo *Minden*

Mindensi eum vendidissent, *Albertus* senior Dux Brunsvicensis intervenit, & resciſſa venditione, Hamelam obtinuit, ut fusiſſus narrat noſter. Hujus denique primogenitus *Henricus*, qui vulgo *Mirabilis* appellatur, cum Einbecca & cæteris regionibus Grubenagiis, aliisque non nullis, etiam Hamelam in ditionem accepit. Ejus filius *Ernestus*, & nepos *Albertus*, autori noſtro propius cogniti fuere. *Ernesti* *justitiam* & *clementiam* laudat; *Albertum* velut *turbidi ingenii* deſcribit. Is est, qui in arce *Salza* habitavit; qui, cum vicinos vexaret, *Iſenati* ſe ſiſtere coactus ſcribitur. Ex noſtro autore apparet, in captivitate detentum fuifle. Habet etiam au tor: *Comites de Everſtein a Rheno* in has oras veniſſe, occaſione, ut apparet, *Advocatæ bonorum Fuldenſium*. Unde etiam Hamelensis Eccleſia hæreditarii olim advocati fuere. *Eberſtein* contractum videtur ex *Everhardstein*; a caſtro ſcilicet, quod *Everhardus* quidam Comes ſtruixerat. Fingit noſter, vel potius ex aliorum figmentis repetit, *Bernhardum* Comitem & uxorem ejus *Christinam*, (quorum monumentum in Eccleſia Hamelensi extat) fuifle ſacri Baptismatis lavacro tinctos a *Bonifacio*, eaque tunc nomina accepiffe; cum antea ille *Everhardus*, ipſa *Odegundina* nominaretur. Cæterum ad Eberſteinenses, vel eorum prædeceſſores, per tinere hunc *Bernhardum*, libenter credo. Adjecimus nonnulla diplomata, quibus res Eccleſia orbisque illuſtrantur. Et in primis notatu dignum eſt privilegium, quod *Ernestus* Dux urbi dedit; ubi quædam conſerenda cum legibus antiquis Brunſvicensibus & Cellensibus, quas iu dem nunc edimus. Similiſ tenoris privilegium civitati dedere *Bernhardus* & *Henricus* fratres Duces, filii *Magni*, vulgo *Torquati*. *Ernesti* filius *Albertus* anno 1362 Advocatum ſeu judicem juratum in civitate conſtituit. Advocati (Ducalis) mentio etiam fit in privilegio *Erneſti*. Pag. 510 lin. 36 præla, leg. *prælia*. & p. 511 lit. z post verba *quis contra nos*, ſequitur: item *versus*:

Quo ſibi fortuna? glomeratio prædiſ in una:

Quo ſibi progenies? formula, maceries

Transit, pertransit pulvis ſub pulvere mansit;

Verbum autem Domini & Eccleſia noſtra in æternum permanebit.

XLII. Excerpta Historiarum memorabilium Cæſarii Heiſter bacensis, monachi Ordinis Cisterciensis.

CAESARIUS aut *Coloniae* aut in vicinia natus, regulam Ordinis Cisterciensis ſecuturum ſe pro fessus eſt in Monasterio *Vallis S. Petri* ſeu *Heiſterbacensi* dioceſis Coloniensis, non procul *Bonna* ſito, Anno Domini 1199, ejusque tandem factus eſt Prior. Notus eſt libris compositis; ex quibus prodire *Fasciculi moralitatis* ſeu *homilia* (quarum in prefatione opera ſua recenſet) *Vita S. Engelberti* Coloniensis Epifcopi, a *Suri* primum edita, ab *Ægidio Gelenio* recuſa cum notis; &, quibus hic uſi ſumus, *Libri XII* *illuſtrium miraculorum* ſeu *Historiarum memorabilium*, ſcripti dialogi forma, in quibus ſcribendis versatus eſt Anno Domini 1227, ut teſtatur ipſe lib. 10 c. 48, qui locus inter ea eſt, quæ excepſimus. Vitam ſeſe etiam *S. Elisabetæ Landgravie* ad petitionem Fratrum domus Teutonicae in Marburg ſcripſiſſe, refert ipſe. Porro in Memorabilium opere pro genio ævi credulus, multa narrat inepta, & ridenda potius quam miranda; in quibus non poſtrema eſt historiola, a Legendariis non minus quam Protestantibus celebrata; ab illis, ut ſtuperent, ab his, ut exagitarent: de puella religioſa, nomine *Beatrice*, cuſtode Eccleſia ſanctimonialium, nescio cuius, erga *S. Mariam* devota; ſed quæ libidinis ſtimulos non ferens, in Altari B. Virginis, Oratori Patronæ, claves domus poſuit & Dominæ commiſſit, teſtata, ſeſe ultra durare non poſſe. At B. Virgo interim, vultu habituque profugæ ſumto, per quindecim annos omnes muneris numeros explevit, donec ductæ pœnitentia & revertenti, nemine animad vertente, reddidit claves locumque: quod ipſa demum moritura propalavit. Hoc quidam *Viennæ Austriae* factum volunt. Talium historiolarum aliquot decades noſter ſuppeditare poſſet, quarum partem debuit *Fratri Adamo*, Sacerdoti & Monacho *Cœnobii* noſtri *Luccensis*. Sed hæc, ſive ad credendum ſive ad ſingendum proclivitas, non obſtitit, quo minusaspergeret noſter Historiæ ſui temporis inservitura. Et cum non pauca occurrant de *Henrico* Duce Saxoniæ, (vulgo *Leone*) uxore ejus *Matilde*, & horum filiis, *Ottone IV* Imperatore, & *Henrico* Duce Saxoniæ ac Palatino Comite Rheni; item de Papa *Innocentio III*, *Adolfo* Archiepifcopo Coloniensi, *Hermanno* Landgravio, *Henrico de Wida*, *Henrici Leonis* ministeriali & fido adjutore, *Baldwino* Advocato de Brunſvic; de Palatino etiam de *Witilinsbach*, (quem *Bertolum* vocat, alii *Ottone* nem)

nem) qui Philippum Regem Romanorum occidit, *Ludovico Comite Lassensi, Werner de Bon-*
land, aliisque insignibus hujus temporis viris; ea excerpta proderunt ad Historiam Ottonis IV
illustrandam, cum apud talem scriptorem non facile querantur. Pag. 523 ex lib X. c. 19 propter
vinciales, leg. provinciales.

XLIII. Disputatio, carmine conscripta, inter Romam & Pa- pam, de Ottonis IV destitutione, ex MSto.

Carmen hoc breve dialogi forma, ex *Bibliotheca Cortoniana*, (nunc laudabili cura Senatus magnæ Britanniæ summi, ad publicos usus redempta,) pro me eruit Theologus Ecclesiæ Anglicanæ celeberrimus, *Thomas Smithus*, misitque vir, *Actis regni publicis editis* meritissimus, *Thomas Rymerus*. Codex, unde sumtum est opusculum, extat in pluteo, cui titulus est *Vitellius D. XIV n. 6.* Cum *Innocentius III Pontifex Romanus Mathildis*, potentissimæ olim in Italia Principis, patrimonium ab *Ottone IV* extorquere non potuisset; quemadmodum nec prædecessores ejus a *Lothario Saxone & Friderico I* extorquere potuerant: Anathemate eum percussit, subditos a iuramento absolvit, *Fridericumque Regem Sicilie*, Henrici VI Imperatoris filium, ei substituendum curavit. Quæ res plerisque, etiam Pontificiæ partis, valde displicuit; quod viderent, Papam, præsentia magis quam futura curantem, & ira in Ottonem indulgentem, (a quo sibi promtum in omnibus obsequium pollicitus fuerat) multo graviorem & periculosiorum accersere hostem, *Gibellinum Principem*, qui de propinquuo immineret, & hæreditario in Papas odio flagraret; cum *Otto ex Guelfis* esset, qui pro Roma contra Gibellinos stare solebant. Plerique etiam, pertæsi longæ inter Philippum Ottonemque contentionis, nova bella horrebat. Inde ab homine Romano, vel certe Italo, profectum hoc carmen, facile crediderim. Sane *Cesarius Heisterbaciensis contemporaneus lib. 2 c. 31. Historiarum Memorabilium* (loco, quem inter excerpta retulimus,) Papæ actus multis in ipsa Roma improbatos, indicat his verbis: *Tempore divisionis Romani Imperii, Dominus Innocentius Papa a multis judicabatur; ita, ut eum dice-*
rent ejusdem Schismatis autorem, primo partem Ottonis nimis fovendo, postea eum persequendo. Propter hoc, cum idem B. memorie Innocentius die quadam sermonem Romæ edicatorum faceret in populo, *Johannes Capotius, qui Ottoni favebat, ejus sermonem interruptus, dicens: os tuum os Dei est,* sed opera tua opera Diaboli. Ferunt etiam (apud autorem compilationis Chronologicæ, a Pistorio editæ, ad annum Domini 1215) quandam Abbatem Ordinis Cisterciensis prope *Perusium* eo, quo Papa obiit temporis articulo, in somnio vidisse DEUM in throno, & ad ejus misericordiam confugientem *Innocentium*, huncque persequentem draconem, flamas spirantem, & justitiæ administrationem a justo judge postulantem. Apparet ex hoc carmine in Ottone reprehensum, quod aliquando *Episcopos* quidem *Clericos*, *Abbates* vero appellasset *Monachos*; in quo vera eum dixisse, autor noster respondet. Sed hæc in deteriore partem rapiebantur ab inimicis, ut odiosus redderetur: quin persuadere orbi conabantur, id agere Ottonem, ut Clerum in ordinem redigeret, superfluisque opibus exueret, uti ex *Guilielmi Britonis* carmine pater, quo *Philippi Regis Galliae* res celebravit. Sed contra virum optimum in Ecclesiæ, brevi, quo quiete regnavit, tempore, largum fuisse, præcepta ejus, Monasteriis *Riddageshusano, Walken-*
redensi, Mariebornensi, Ecclesiæ S. Blasii in Brunsvie, aliisque locis piis concessâ, ostendunt. Luxum fastumque quorundam improbabile, quis culpet? Pium & gravitate morum fuisse conspicuum, convenit inter eos, qui virum neverunt; in timore Domini a matre Mechtilde educatum cum fratribus, *Arnoldus* scribit. *Virum fuisse devotum, & qui semper Deum præ oculis habuerit,* post ejus mortem, cum nullum adulacioni pretium, scriptum reliquit *Sigefridus Episcopus Hildesheimensis* in literis, quas *Henricus Meibomius* in *Apologia Egregii Imperatoris doctissima* produxit; quem non exscribimus. *Insigni corporis specie fuisse & magna fortitudinis*, *Arnoldus amicus, & Urspergenis ac Brito adversarii, agnoscent;* & has virtutes Ottonis, liberalitatemque celebrat Poëta noster:

*Sanguine qui Castor, Alcides robore, donis
 Instar Alexandri; minime considerat (ex quo
 Est aliquid dandum) cui res sit danda, sed a quo.*

Cum milites ejus Romæ aliquid, in foro rerum venalium expositum, diripiissent, decuplum reddidisse, idem narrat. *Continentiam diu celebrarunt Itali, ut patet ex Historia apud Commentatorem Dantis* relata de virginie; qua cum potiri Imperator, patre tantum non offerente, posset, laudata puellæ repugnantis pudicitia, clarum ei maritum invenit, addita insigni dote. *Pium*
ejus

*eius obitum certatim celebrant scriptores illorum temporum, atque etiam, ut erat seculi
genius, miraculis ornant; contraria Innocentii III fama, ut ex supra dictis patet.*

XLIV. *Chronicon parvum Ecclesiæ S. S. Simonis & Judæ
Goslariensis, cum recensione reliquiarum.*

Cum V. Cl. & maxime Reverendus *Johannes Henricus Heiniccius* Goslariensem Historiam justo opere edidisset, & Chronicus hujus autoritate passim usus fuisset, mereri hoc monumentum antiquitatis judicavi, ut inter cetera similia conservaretur. Itaque ab ipso ad edendum impetravi. Diligenter descriptum est ex codice Membranaceo ipsius Ecclesiae. Seculo decimo tertio autorem vixisse suspicor. In longe remotis errat, velut cum *Conradum primum Regem Germaniæ* (quem Imperatorem vocat) filium *Ludovici* prædecessoris facit, & ex Caroli M. genere deducit, in quo & alii posteriores Iapsi sunt; Item cum *Eugenium Papam Hénrico*, Conradi Salici filio contemporaneum facit pag. 534, nisi librarii id potius virtutem est. Nam pag. 535 *Leonis Papæ* mox ipse meminit. Sed in originibus Goslariensibus non facile fidem ei abrogandam putem, velut, cum metalla montis *Ramesberg* anno *Henrici Aucupis XV*, qui est Christi 933, detecta tradit, & postea per ipsum civitatem Goslariensem constructam, id est, quæ villa fuit, opidi faciem induere coepisse. Evidem *Ditmarus* lib. 2 venam argenti sub *Ottone M.* primum inventam scribit. Sed præterquam quod mons *Ramesberg*, (ut nunc quoque) plumbum sub *Henrico* fundere potuit, unde sub *Ottone* filio demum argentum separatum sit; nihil etiam prohibet, Ottoni transscribi, quæ extremis *Henrici* temporibus coepta, sub filio incrementum accepere. Evidem metallorum venas jam dudum innotuisse *Saxoniæ*, innuit *Folcmarus Abbas Corbejensis* in charta foundationis *Monasterii Groningen* ad Bodam, 936 data, a *Meibomio* edita in notis ad *Chronicon Corbejense*, & a Cl. *Heineccio* citata; ubi *Sifridus Comes* hereditatem suam cum metallis &c. in Monasterium transfert. Sed nihil prohibet intelligi ferri fodinas, quas passim jam tum exercitas in Germania, dubitandum non putem.

XLV. *Chronica Slavorum Helmoldi Presbyteri Bosoviensis;
& Arnoldi Abbatis Lubecensis collata cum Cornero,
& subinde emendata.*

XLVI. *Loca in Hermanni Corneri Chronico inedito ex Helmoldo vel Arnoldo citata, quæ tamen apud eosdem, quales extant, vel plane non, vel aliter leguntur, ex Msto.*

Helmoldus fuit Presbyter & Rector Parochiæ Bosoviensis dioecesis Lubecensis in Wagria ad Plonensem lacum. Continuator *Anonymus Chronicus Slavorum*, mea cura in Accessionum Historicarum opere editus, *S. Wicelini* discipulum appellat (pag. 26) Ipse (in Epistola dedicatoria ad Canonicos Lubecenses) *Geroldum Lubecensem* Episcopum suum Præceptorem Venerabilem vocat, cuius & impulsu Historiam scripsit, cui & A. D. 1155 diocesin suam obeunti, Comes ad Slavorum Optimates ivit lib. 1 Chron. cap. 82, 83. Historiam coepit a conversione Saxonum ad Christum & *Caroli Magni* expeditionibus. Finivit in anno 1170 florentibus adhuc *Henrici Leonis* rebus, Slavisque, Wagriis, Polabis, Obotritis & Pomeranis, ejus potissimum opera & autoritate, jam tandem aliquando bona fide ad Christum perductis: nec diu superstitem fuisse autorem appetit. Non multo post *Arnoldus*, Monasterii Ordinis S. Benedicti ad D. *Johannis* apud Lubecenses Abbas, idem opus continuavit, & ad A. D. 1209 perduxit. Stylo sunt consimiles, sed *Helmoldus* gravior & veritatis studiosior; *Arnoldus* vero, barbarie non tam in verbis quam in rebus, ac superstitione ipsa magis magisque ingruente, in fabulas prior appetit. Nam, ut aliquoties jam notavi, in Germania ex quo cultus Christi cum literis receptus est, *decimum tertium seculum* omnia præcedentia scriptorum ineptiis vicit; cum simul & res publica nostra pessum ivisset. Porro maxima hujus operis pars ad *Henricum Leonem*, ejusque patrem avumque, & liberos pertinet; ut,

siqui alii scriptores, hi certe sint *Historici rerum Brunsvicensium*. Quin & a libri i cap. 10 ad cap. 35 Helmoldus habet gesta *Ducum Saxonie Billingerorum*, ab Hermanno primo ad Magnum ultimum, cuius filiam *Wulphildem* Henricus Niger Dux Bavariae ex Welfis duxit. Inde usque ad cap. 57 tractat res gestas a *Lothario*, primum Duce Saxonum, mox Imperatore, ejusque genero *Henrico Welfo*, Henrici & Wulphildis filio, Henrici Leonis patre. Postea explicatis iis, quae *Adolfus Holsatiae Comes* nomine *Henrici Leonis* pueri egit, cui contra *Adalbertum Marchionem* fideliter adhaeserat; ipsius *Henrici Leonis acta* in Nordalingia Slaviaque a libri primi cap. 68 usque ad finem sui operis, id est, libri secundi cap. 14 luculenter exponit. Ex eo librum secundum *Chronicæ Slavorum* prosequitur *Arnoldus Abbas*, sed capita ab initio numerare incipit. Unde *Bangertus* in sua editione librum tertium appellat; mox subito, quasi mutata sententia, iterum vocat *Chronicæ Slavorum secundum*, atque ita sequentes tertium, quartum, quintum, sextum, septimum. Arnoldus ergo in rebus *Henrici Leonis*, *Bavariae Saxonique Ducis*, pergit, & licet Saxonica ejus potissimum tradat, tamen & peregrinationem in terram sanctam commemorat, enarratque a cap. 3 ad cap. 12 ex hodeporico opinor, *Henrici Abbatis S. Egidii Brunsvicensis*, post sedi Episcopali Lubecensi ab *Henrico Leone* impositi, viri docti; qui comes itineris fuit, & cum *Gracis de religionis controversiis* collocutus est. Inde res *Ducis* persequitur autor usque ad finem libri, quo *Dux in exilium ire coactus est*. Libro tertio ostendit, Duce pulso, (quem substitutus a *Friderico Cæsare Bernardus* neque autoritate neque animi vigore æquabat) res *Saxoniae* pessum esse. In diebus illis, (incipit noster) non erat Rex in Israel, & unusquisque, quod rectum in oculis suis videbatur, faciebat. Et sane verum est, non in *Saxonia* tantum, sed & in tota Germania magnam, post hujus Principis casum, murationem consecutam, ipsamque formam veterem florantis reipublicæ Germanicæ, autoritatemque Imperii intercidisse; fracta majorum *Ducum* potestate, (cum mox & *Sveviae* & *Francia orientalis* Duces extinti essent,) qui ceteros proceres in officio continebant. Unde postea *Philippo & Ottone* (Ducis nostri filio) de Imperio certantibus, & *Friderico II* in Italia Pontificum Romanorum perpetuis obrectationibus detento, anarchia quædam per Germaniam invaluit, ut minores sese fœderibus contra potestiores, atque etiam contra prædones, tueri cogerentur. Sed & *Dani* per *Holsatiæ* & vicinam *Slaviam* invalescere coepere, res Imperii carpentes, cuius Majestatem sub *Lothario* Imperatore adhuc comiter habuerant; & *Henrico Leone* florente, (cujus gener erat filius *Waldemari Regis* & successor *Canutus*) autoritatem Imperatoris *Ducisque* reverebantur. Arnoldus deinde a rebus harum regionum ad *Hierosolymitanas* transit; captamque urbem & *Friderici I* Imperatoris sacram expeditionem referens, de navibus Teutonicis agit, quæ ex *Frisiis*, & *Chaucis* sive *Bremensibus*, & vicinis *Saxonum* regionibus, ad *Acconis* obsidionem venere; atque ita librum tertium in *Richardi Regis Angliae* captivitate finit. Inde libro quarto exponit *reditum Henrici Leonis* ex *Anglia*, receptam *Stadam*, eversum *Bardevicum*; tum de matrimonio agit *Henrici filii* ejus priogeniti cum filia *Conradi*, qui patruus erat *Henrici VI*, Romanorum Regis tunc regnantis, aliisque, ad mortem usque *Henrici Leonis* securis, quæ contigit anno 1195, de qua autor c. 24 ibique quartum *Chronicæ* librum finit. Insperferat alia subinde, & c. 29 inseruerat *Conradi Cancellarii Epistolam* de rebus *Apuliae*, quam, (inquit) scripsit nobis. Sed cum inscribatur hoc modo: *Conradus Dei gratia Hildesemensis Electus*; (nempe Episcopus) *Imperialis aule* (supple: *Cancellarius*) & *regni Siciliae*, (id est, ad regnum) *Legatus dilecto suo N. Hildesemensis Præposito Ecclesiæ*; hinc suspicio est, Arnoldum, antequam monachus & Abbas fieret, in *Hildesemensi* Clero fuisse. Conradus postea, dimissa Ecclesia *Hildesensi*, factus Episcopus *Wurzeburgensis*, ibi occisus est. Sequitur libro V *alta Expeditio in terram sanctam recuperandorum Hierosolymorum* causa, cui interfuit *Henricus juvenis*, *Palatinus de Rheno*, *Henrici Leonis* filius; qui secum habens nonnullos de *Saxonia*, quibus notum erat, qua arte excavatur mons *argentarius* apud *Goslariam*, ea arte cuniculos egit, & supposito igne, muros cadere fecit. Liber sextus incipit a morte *Henrici VI* Imperatoris A. D. 1198, & electione contraria tum *Philippi*, qui frater erat defuncti, tum & *Ottonis*, qui filius erat *Henrici Leonis*, triennio ante extinti; quorum bella expoununtur,

ponuntur, resque interim *cum Danis* gestæ. Digressione etiam facta narrantur acta in *Syria*; & *Constantinopolis* capta a Latini, ex Epistola *Balduni* Comitis Flandriæ (facti mox Imperatoris novæ Romæ) & sociorum, ad *Ottонem Regem* cap. 19; ejusdemque *Balduni* jam Imperatoris Epistola quædam *Encyclia*, qua omnibus rei gestæ seriem notam facit, c. 20 exhibetur. Liber VII *conflictationes Philippi & Ottonis* prosequitur; *Expeditionem* etiam *sacram* in *Livoniam*, & labores Apostolicos *Bertoldi*, secundi apud Rigenes Episcopi, Abbatis antea in *Lucca*; quod Monasterium diœcesis Mindensis, Ordinis Cisterciensis, in ditione Hanoverana situm est, hodieque Abbas inter *Ordines Ducatus Calenbergici* primum locum tenet. Inseritur &c. 10 itinerarium *Gerardi Argentoratensis Vicedomini*, quem *Fridericus I Imperator* ad *Saladinum* miserat. Lites etiam recententur de Episcopatu *Raceburgensi*, agiturque porro de *Waldemari* Daniae Regis expeditionibus usque ad Albim; tum cædes *Philippi Regis Rom.* (cap. 14) & receptio *Ottonis IV* omnium jam Principum consensu enarratur; cuius deinde res autor prosequitur usque ad Expeditionem Italicam, & in coronatione ejus Romana, (capite 21, quod penultimum est) librum & opus finit. Ex quibus hac tenus recentis intelligi potest, opus *Helmoldi* atque *Arnoldi* magis *Historiam Henrici Leonis, & majorum ejus ac filiorum*, quam *Chronicon Slavorum* dici mereri. Etsi interim verissimum sit, origines Principum Germanicorum, ex Slavonicis gentibus ortorum *Mecelburgensem & Pomeranorum*, siue hoc opere ignoratum iri. Et tamen id non inseruissimus huic Fasciculo nostro, etsi maxime ad nos pertineret, si in alia collectione, scriptores rerum Germanicarum complexa, extitisset. Primus anno 1555 Francofurti ad Moenum in 4° edidit M. *Sigismundus Schorkelius Numburgensis*, cum prefatione *Philippi Melanchthonis*; sed non nisi usque ad partem capituli 8 supplementi libri 2 ab *Arnoldo* scripti; nam reliqua in Manuscripto codice desiderabantur. At defectum feliciter explevit vir de Germanica omniq[ue] Historia optime meritus *Reinerus Reineccius*, usque ad initium capituli 18 libri septimi progressus, ubi codex, quo usus est, imperfectus erat; opere Francofurti itidem edito A. D. 1581 in fol, ubi &c, quæ *Arnoldi* erant, ab *Helmoldinis* distinxit, prima editione confusa. Quæ deerant quatuor capita, *Lindebrogius* rerum septentrionalium scriptoribus adjecit, *Meibomius senior* ex codice *Ranzoviano* emendavit. Sed tandem integrum opus prælo reddidit, notisque uberibus & utilibus illustravit *Henricus Bangertus*, Lubecensis Scholæ Rector, vir doctissimus, Lubeca 1659 in 4° quas tamen in nostram editionem transferre visum non est, tum ut *Bangertinæ* suus constet honos, (quam nuper 1702 præfatione doctissima ornavit vir insignis *Jobannes Mollerius Flensburgensis*,) tum ne nostra collectio non necessaria mole oneraretur. Notæ prolixiores ad Editiones potius illas spestant, quæ singulatim exhibent autores, quam ad collectiones nostris similes. Ne tamen nihil habeat Editio nostra super ceteras, providimus. Cum enim beneficio Amplissimum Virorum, qui inclytam *Luneburgensem civitatem* regunt, concessus mihi fuisse usus *Chronici ingentis*, quod *Hermannus Cornerus*, hac tenus ineditum, reliquit; in quo passim alii autores exscribuntur nominibus appositis, & saepe periochæ exhibentur tanquam ex *Helmoldo*; collationem instituendam censui. Ibi compertum, tum multa aliter videri iecta *Kornero*, quam apud nos habentur; tum quædam a *Kornero* allegata, nusquam in nostro *Helmoldo Arnoldoque* comparere. *Priora*, quibus variat *Kornerus*, per notas subjecimus, (quæ non raro editis sine controvèrsia sunt meliora, e.g. lib. 1 c. 34 ubi pro *præmonivit* legit *Kornerus præmonuit*,) simulque quædam ex *Bangertinis annotationibus*, necessaria intelligendo aut emendando Textui, laudato ejus nomine, cum variis ipsius lectionibus, addidimus; nonnulla & de nostro allevimus. In variis lectionibus, ex *Bangertianæ* editionis fine a nobis ad paginae ima translatis; *L* significat codicem *MStum Lubecensem*, quo usus erat *Reineccius*; *B* *Bækelianum*, quem suppeditaverat *Martinus Bækelius* reipublicæ Lubecensis Syndicus, *Vir Consultissimus*; *R* *Ranzovianum*, quo usus est *Henricus Meibomius Senior*; *S*, *Stetinensem*, quem obtulerat vir celeberrimus *Jobannes Micraeus*: ubi nulla addita est nota, variatio ex *Kornero* a nobis sumta est. Posteriora loci, id est, quæ quantum observare licuit, in *Helmoldo Arnol-* dove non extant, in unum collecta, Chronicæ huic Slavorum subjecimus. An per er-

INTRODUCT. IN COLLECTION. SCRIPTOR.

rorem alterius labores Helmoldo Kornerus transcripsit, quem etiam ab Arnoldo non distinguit; an interpolatum immutatumque ab alio Helmoldum in manibus habuerit, non dixerim. *M. Hermannus Kornerus* a Bangerto *Lubecensis* vocatur, tum in præfatione, tum in notis ad lib. 1 c. 46. *Familia Dominicane Monachum* sese ipse testatur in præfatione operis. Opus suum *Chronicam novellam* vocat, & in præfatione Tomi II, qui ab *Henrico IV* incipit, priora quidem ex aliis fide dignis diligenter exscripta profitetur; novissima ex certa rerum fide a se ipso suppleta. Sane in *Sigismundo Augusto* non nisi *Chronica Romanorum, Francorum & Saxonum*, nescio quæ, citat; post annum 1420 autores allegare desinit, sui nempe temporis gesta referens; fusiusque res anni cujusque persequitur. *Doctorem Theologie* fuisse intelligas ex continuo quadam MSra vernacula excerptorum Chronicæ ejus, Luneburgicam urbem respicientium, quam ejusdem urbis Chronicæ veteri vernaculo Tomo III subjecimus; ubi & alia de hoc opere inter recentendum notavimus. Ad superiores Germanos penetrasse videri, Meibomius in vindiciis Billinganis ex quibusdam *Francisci Irenici* locis collegit. Suspiciatus aliquando sum, eundem esse Kornerum seu Kirnerum, id est, Kirchnerum, quod æditum sonat, cum *Hermannus Editus*, quem Basilius Johannes Heroldus ex officina Oporiniana edere voluit, ut ipse ait in dedicatione Mariani Scoti & Martini Poloni, quos ibidem A. D. 1559 edidit. Eundem æditum subinde *Martinus Crusius* citat: sed loca inspecta Kornero nostro non faverunt. Kornerus ipse passim citat & exscribit autores, quos non habemus, qualis est *M. Eggehardus*; cuius quintum librum Historiarum ad *Henricum V* citat etiam Helmoldus lib. 1 c. 40. Eggehardi hujus Vossius aliquique non meminere. Distinguendus autem est ab *Eggehardo Uragensi Abate*, qui serius vixit; cuius Chronicon Hildesiense Tomo I in lucem protraxi.

XLVII. Emendationes & supplementa otiorum Imperialium Gervasii Tilberiensis, Tomo I editorum.

Nescio, quo casu accidit, ut non tantum in Codice *Helmsadiensi* multa deessent Gervasio capita; sed etiam ex *Cantabrigiensi* non supplerentur. Itaque ad *Parisinos* configiendum fuit. Cum vero impressionem morari non liceret, quæ inde nocti sumus in *Tomum* hunc secundum differri oportuit. R. P. *Longus* ex congregatione Orationis Parisina, vir egregie doctus, &c, laboribus utilissimis in *Bibliotheca Scriptura Sacra* condenda exantlatis clarus, pro sua in literas, amicosque, literarum cultores, propensione, collationem Gervasii a nobis editi, cum codicibus aliquot, in *Regia & Colbertina Bibliotheca* exstantibus, non certe facilem, in se recepit, & magno studio perfecit; quo nomine ipsi gratias publice persolvo. Itaque in decisione operis secunda deerant nobis, pars postrema capituli tertii de *Asia Orientali*, caput quartum de *parte Asia meridionali*, (ubi pag. 756 male impressum III, cum sit ponendum, IV) quintum de *Septentrionali*, sextum de *Asia minore*, septimum de *Europa parte septentrionali*, octavum de *Italia*, nonum de *situ Rome*. Nonnunquam etiam aliquot vocabula, imo periodi defuere, quæ omnia nunc sunt suppleta: passim etiam sensus autori redditus. Interdum diversas lectiones alicujus momenti annotare visum est, quando electio facilis non fuit. Nomina propria locorum, et si non raro corrupta, (v. g. pag. 757 pro *Commergana*, legendum *Comageno*) mutare noluimus, quod res aliquando altioris indaginis esset. Et interdum ipsa varatio antiquorum est. Itaque hanc discussionem iis relinquendam putavimus, qui hæc ex professo tractare volent; quæ in primis *Geographia veteri & media illustrandæ* prodeſſe possunt.

XLVIII. Chronica Episcoporum Hildenshemensium, nec non Abbatum Monasterii S. Michaelis, cum supplementis, quæ suppeditarunt bini Catalogi Episcoporum.

Dedimus

HISTOR. BRUNSVIC. INSERVIENTIUM.

¶

Dedimus jam bina vel terna Chronica rerum Hildesiensium; primum *Authenticum Ecclesiae Cathedralis*, quod (quantum judicari potest) *Ekkehardus Abbas Uraniensis conscripsit*, productum in lucem Tomo I pag. 742. Deinde *excerptum*, contractum ex eodem opere, iam a Browero editum, & a nobis repetitum Tomi I pag. 773. Tertio *Catalogum Episcoporum Hildesheimensium* Tomo hoc secundo num. 17. Edidimus etiam *Chronicon cœnobii S. Michaelis in Hildesheim* eodem in Tomo secundo num. 32. Aliud jam dederat *Meibomius* Tomo 2 sua Collectionis pag. 517. Sed cum postea *Codex Engelhusii*, qui olim *Hermannii Conringii* viri Cl. fuit, in manus meas venerit, cui ascriptum est *Chronicon*, quod nunc damus; nec pauca in eo habeantur circa Episcopos pariter & Abbates, quæ in prioribus aut non extant, aut aliter habentur; interdum & hiatus *Meibomiani* *Chronici* suppleat: opusculum hoc, a Monacho S. Michaelis scriptum vel saltem continuatum, non suppressendum visum est. Cumque ad manum essent bini alii Episcoporum Hildenshemensium Catalogi, non simplices, sed gestis eorum passim interstincti: inde supplementa hoc transfere visum est. Priorem conscripsit *Franciscus Borsem*, senior Monasterii Marienrodenensis prope Hildesiam, (de quo dictum in recensione *Chronici Marienrodenensis* hujus Tomi Num. 36.) alterum dedit *Henricus Bodo* Monachus Clusensis, sive Monasterii Chronicus adjectus; de quo videantur, quæ dicta sunt ad num. 17 & 28 hujus ipsius Tomi. Excerpta ex priore Catalogo, notata sunt simplici parentheses signo (); excerptis ex posteriore stellulae accessere (**). Circa antiquiora fabulas admixtas, nemo mirabitur.

XLIX. *Johannis Buschii Canonici Regularis libri IV de Reformatione Monasteriorum complurium per Saxoniam & vicinas regiones; ubi supplentur & emendantur jam supra edita a pag. 476 ad 506, & opus magna parte, interim reperta, integratur, ex Manuscriptis Kiloniensi & Sultensi.*

Appendix ad Johannem Buschium, sive, Catalogus Praepositorum Conventus Canonicorum Regularium: in Sulta prope Hildesiam.

DE Buschii opere jam supra egimus in hac ipsa introductione hujus Tomi num. XXXIX.

L. *Designatio Monasteriorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Bursfeldensis per Germaniam, virorum duntaxat, ex MSto.*

Bursfelda Monasterium ditionis Brunsicensis fuit, unde Reformatio in plurima alia per Germaniam Monasteria Benedictina porrecta est. De qua cum non pauca in Buschiano opere habeantur, hanc designationem Monasteriorum, congregationem Bursfeldensem amplexorum, subjicere ei placuit, qualem circa A. D. 1630 Monachi ad Pontificem misere, cum *Edicto Ferdinandi II & Tillianis* successibus in spem recuperandorum bonorum Ecclesiasticorum eructi fuissent; quæ deinde per pacem Westphalicam decollavit.

LI. *Chronicon M. Theoderici Engelhusii, continens res Ecclesiæ & Reipublicæ ab orbe condito ad ipsius usque tempora. Ex aliquot MSS. plurimum auctum emendatumque.*

o

M. Theo-



54 INTRODUCT. IN COLLECTION. SCRIPTOR.

M Theodericus Engelhusius Einbeccensis Presbyter, initio seculi decimi quinti floruit, & in his regionibus doctrina enuit. Hujus Chronicon, ab orbe condito ad sua usque tempora deductum, *Basilius Johannes Heroldus* edere primus fortasse cogitavit. Nam Reginæ Anglorum *Elisabetha Marianum Scotum & Martinum Polonum* dicens A. D. 1559, brevi se, cum aliis (quos nunc enumerare non attinet) tum *Hermannum Aeditum, & Conradum Engelbus*, ex Oporiniana officina daturum spondet; Conradum pro Theoderico per errorem appellans. Postea *Guilielmus Budeus*, medicus apud Halberstadenses, vir doctus, ex Bibliotheca *Mich. Neandri* hunc autorem dare voluit: sed proposito ejus per difficultatem temporum intercepto, Helmestadii tandem A. D. 1671 editionem procuravit in forma, quam quartam vocant) Vir doctissimus *Johannes Jacobimus Maderus*, de harum regionum antiquitatibus bene meritus. Usus est quatuor Codicibus, quos *Conringius, Lansbergius, Hofmannus & Finkius* suppeditarunt, quorum unus semper alio fuit perfectior; ut appareret, autorem ipsum in limando opere suo studium posuisse. Sed neque *Maderus* satis Codices, quos habebat, adhibuit (quod miror) & Conringianum fortasse serius nactus est. A beo tempore alia reperta sunt exemplaria, adhuc productiora. Nam cum autor vitam ad Annum usque 1434 produxerit, ut mox dicemus: opus ipse suum continuare potuit; quanquam alium non adjecisse aut mutasse quædam, affirmare minime ausim. Binæ ergo continuationes ad me pervenere; una pertingens ad annum 1428; altera, & quantum constet, novissima; finiens in anno 1433; quæ convenienter in quibusdam, in aliis differunt. Prior brevior sumta est ex MSto Hofmanniano *Martini Poloni*, ubi post hæc verba: *Anno Dominica Incarnationis MCCCXXVIII Papa Johannes obiit in Avinione die IIII mensis Decembris, que fuit dies Dominica, litera Dominicali concurrente B, Pontificatus sui anno XIX; vacavitque post mortem ejus sedes diebus XVI.* Et Dominus Jacobus, Presbyter Cardinalis tituli S. Priscae, Magister in Theologia, ordinis Cistertiensis, in Papam est electus, elegitque vocari Dominus Benedictus Duodecimus; Sequuntur per multas paginas, quæ in Engelhusio Maderianæ editionis extant pag. 268; & quidem ex abrupto, ne sensu quidem integro, multo minus nexus temporis observato. Nam cum Engelhusius narrasset, Petrus de Corbario a Ludovico Bavarо Papam factum, subjicit: *Quis e nominavit Nicolaum quintum. Iste autem, quod fuit uxoratus, & uxor eum repetit, publice sententiatus est ad matrimonium redire.* At librarius in continuatione Martini, post supra dicta statim incipit a verbis: *Nicolaum Quintum. Iste autem &c.* Cætera omnia sequuntur in MSto prorsus, ut in Engelhusio edito habentur, nisi quod in fine continuatiuncula nostra prior adjecta est, quam nunc edimus. Aliam, aliunde suppeditatam, in antiquis Schedis nostris reperimus. Prior in plerisque convenit cum ea, quam Operi ipsi subjecimus, ex MSto Codice Engelhusiano R^m. Viri *Gerbardi Molani, Abbatis Lucensis* desumptam. Decreveramus initio non nisi continuationes illas binas huic Collectioni inferere, & posuimus eas n^o. XII hujus Tomi. Sed cum postea inspecto Conringiano Codice animadverterem, multa in eo contineri, quæ in Editione Maderi non extabant; non pauca etiam additiones suppeditarentur ex Codice MSto, qui fuit *Conventus Fratrum Minorum Gottingensem*, nunc vero in Bibliotheca Ecclesiæ S. Crucis Hanoveræ asservatur, quem Cl. Job. Georg Eccardus, Professor nunc Historiarum Helmestadiensis, a Phoca temporibus usque ad finem cum edito contulit; & ex his aliisque opus pene quarta parte auctius dari posse; incidi totum reddere, ere visum est. Apparet, Codicem *Gerbardinum vel Molanianum* absolutum 1418, *Conringianum* 1421, *Finkianum* 1423, at *Crucianum* seu Ecclesiæ S. Crucis 1432 vel 1433. Et dicendum est, vel autorem ipsum, vele eo adhuc vivo alias, quædam subinde adjecisse, omisisse, ampliasse, contraxisse. Conringianus Codex aliquando in notis marginalibus designabitur nota C, Gerhardinus nota G, Crucianus Cr. Quæ Maderianæ Editioni adjecta sunt, *uncinis* [----] includi voluimus: quos passim Hypothetæ per negligientiam in parentheses (----) mutavere: Theodericum Engelhusium, *Guil. Budeus* in vita Alberti II Episcopi Halberstadensis 1624 (p. 98) & *Henricus Meibomius* in Catalogo Scriptorum, Buntingio a se recensito præfixorum, *Eimbeccensem* vocant, notante Madero; sed qui vel ideo dubitar, quod *Johannes Leznerus*, vir si quis alias, in hujusmodi curiosus

tiosus & diligens, libri VI parte i cap. 8 *Chronici Dasselensis*, ubi data opera de claris Einbeccensibus agit, nullam ejus mentionem facit. Sed reperio, Leznerum fere posteriorum tantum mentionem facere, qui ipsius tempora attingebant. Denique tollit dubitationem Epitaphium, de quo mox; ubi diserte: Ex Einbeck natus, *Engelbus cognominatus*. Sane nec *Theodori* (vel *Theoderici*) *Longi de Einbecke* Leznerus meminit, cuius *Poësm Ducum Brunsvicensium*, (id est poëma de *Ducibus*) Engelhusius non semel citat. Videatur in primis ipse, ubi agit de *Ludovico Rege Germaniaæ*, Arnolfi filio. Itaque aliquando suspicatus fui, hunc eundem fuisse cum ipso Engelhusio: nam idem potuit a statuta Longus, a loco (ut tunc mos erat) Engelhusius nominari. Nec alibi hujus Longi mentionem fieri memini: video etiam, hujus allegationes non in omnibus Engelhusii Codicibus extare; adeoque, vel ab ipso vel ab alio, ex alio ejusdem opere inseri potuisse. Sed tamen, ut distinguendos judicem, facit non tantum, quod *Meibomius* editor poëmatis de *Saxonia*, *Tidericum Langum* ejus autorem *Canonicum Goslariensem & Einbeccensem* vocat, (quoniam nihil de eo Cl. *Henneccius* in *Goslariensis* notaverit) sed & quod in poëmate inter *Saxoniae Dynastas* adhuc vigentes quosdam recenset (velut *Homburgios*) qui Engelhusio florente jam extincti erant. In Codice MSto de Reformatione Monasteriorum, qui *Jobanni Buschii* inscriptus, a nobis in hoc Tomo editur, *Engelhusii elegium* extat (pag. 489) his verbis: Magister *Theodericus Engelhusen*, donatus Presbyter Monasterii in *Wittenborch*, habitum suscepit, judica A. D. 1434, & obiit eodem anno post Godehardi, sepultus in *Wittenborch*. *Hic vir Saxonia lumen fuit*. Subjicitur deinde Epitaphium, quod emendatius hic iterum subjiciemus, cum in edendo Codicem fecuti fuerimus:

Mortales cuncti, moveat post tumba sepulti
Saxonis eximii, vermis expositi.
Anno milleno quadringenteno - triceno
Et quarto Domini post festum mox Godehardi,
Cui quondam nomen *Tidericus* contulit omen,
Ex *Einbeck* natus, *Engelbus cognominatus*:
Qui clarus ingenio, moribus, ore, stylo.
Divinum cultum dilexit crescere multum,
Scriptis magnificus qui fuit atque pius.
Terra sed ossa tegit: animam, qui tartara fregit,
Lucis perpetuae collocet in requie.

Henricus Meibomius junior, vir celeberrimus, referente *Madero*, Ultrajecti viderat exemplum *Chronici Engelhusiani*, ex Codice vetusto anno 1643 descriptum; descriptorque (vir haud dubie eruditus) in fronte notaverat, visum sibi *Commentarium Engelhusii in Psalmos & Vocabularium*. De *Commentario* nihil mihi compertum. At *Vocabularium* erat inter Codices, qui in Bibliotheca ædis *Sanblasianæ Brunsvicensis* adhuc anno 1602 extabant; quod ex Catalogo appareret, quem tunc *Paulus Chemnitius* *Canonicus* confecerat, & antiquitatibus Ecclesiasticis Urbis *Brunsvicensis* nuper (A. D. 1707) Germanico sermone editis, documentorum adjectorum pagina 78 inseruit Vir doctus, *Philippus Julius Rebtmeier*, in patria urbe verbi divini Minister, parenti adjunctus, ubi pag. 81 n. 9 legitur: *Passio Domini cum concordantiis Evangelistarum quorundam Evangeliorum expositio. Vocabularius Engelhusen dictus*. Quæ, opinor, in unum eundemque codicem compacta erant: & spero, non esse amissum, sed fortasse inter Codices Bibliothecæ Augustæ Guelfebyranæ reperiendum. Hæc de Engelhusio; qui vir suo tempore clarus, *Vossio*, *Sandio* ejus annotatori, *Caræo*, aliisque parum cognitus fuit. *Dupinius*, doctissimus autor *Bibliothecæ Ecclesiastice*, vocat *Theodericum ab Ingelhusen*, & cap. 4 Rerum seculi XV ejus mentionem faciens, lapsu memoriae, credo, *Canonicum Hildesensem* appellat. *Buschius*, vel quisquis est elogii paulo ante allati autor, Engelhusium vocat *Donatum Presbyterum* Monasterii in *Wittenborch*, id est, qui cum esset *Clericus secularis*, (ut vocant) fæse in Monasterium dederat; credo, cum morti vicinus, ac rerum seculi pertitus esset, (nam mox obiit) & *Witeborgense Monasterium* tunc ob reformationem celebrabatur.

Cognato, sed paulo strictiore sensu *Donati* vox Ducangio in magno Glossario accipitur; nempe *de laico, qui se & sua Monasterio offert.* Sed hoc loco Presbyter apud Monasterium fit Donatus. Et *Job. Buschius* noster c. 5 pag. 481 Donatos apud Monasterium agentes, opponit *investitus*, qui religionis vestem sumserunt. *Investivimus* (inquit) unum Sacerdotem --- duos de præfatis fratribus ---- Reliquos, quos ibi invenimus in *Donatos & familiares* recepimus. Idem *Buschius* l. i c. 44 (ubi de Bursfeldensi Reformatione) hæc de Engelhusio habet, quæ ascribere operæ pretium videtur. *Venerabilis Abbas de Clusa Johannes, in Abbatem de Bursfelda post hac assumptus* ----- zelo Dei & sanctæ reformationis valde accensus. Nam propter banc Windesem & Bödike, ordinis nostri Monasteria, visitavit, cum viro Magnifico Magistro Dirico Engelhuys, in Wittenborch in extremis vivente, ut veram regularis observantie formam oculata fide consiperet. Chronicon Engelhusianum, etsi passim fabulis refertum, non pauca tamen utilia suppeditat; aliquando etiam citat & excerpit scriptores, qui hodie non habentur, ut *Hugonem Bambergensem, Theodericum Longum, Chronicon Amelunxbornense*, ut alios notiores taceam. Ut ex *Gerðaso* decimi tertii, ita ex *Engelhusio* decimi Quinti seculi doctrinam, saltem qualis in Germania erat, velut in speculo intueri licet. Et de rebus harum & vicinarum regionum haud pauca nobis suppeditat, quæ alibi non habentur. Ejusdem Engelhusii *Genealogia linea Ducum Brunsvicensum in Einbek seu linea Gruenbachica*, huic ipsi Tomo jam supra inserta est Num. IV.

P. 20.

F I N I S.

